Parochia Ugocsiensis

Anno Domini 84.

Corpus Juris

gr. cath: Parochus Tarnócz...

sogyok m.p.

CORPUS JURIS,

IN COMPENDIO EXHIBENS:

JUS CANONICUM,

SEU

SUMMAM SACRORUM CANONUM, CONSTITUTIONUM, & DECRETORUM, JUXTA MATERIAS REDACTORUM,

PRO USU

VENERABILIS CLERI, MAXIME VERO CONSISTORIALIUM PRAESIDUM, ASSESSORUM, NOTARIORUM, AC ADVOCATORUM, & CONFESSARIORUM MODERNIS TEMPORIBUS ACCOMODE DEDUCTUM

per

Alexandrum Duchnovits,

Cath. Eccl. Eperjessiensis Custodem, et Canonicum, una ad S. Sedem Consistorialem Eperjessiensem Matrimonii, ac Religiosae Professionis Defensorem, nec non Ord. Pauperum Advocatum. etc.

EPERJESSINI 1847.

Pars I.

EPERIESSINI,

Typis Eduardi Redlitz, caes. Reg. priv. Typographi.

Si Decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu, atque incuria estis arguendi, si vero habetis, et non observatis, de temeritate estis corripiendi, et increpandi. Decr. Grat. Par. 1. Dist. 20. Canone 2.

Canonum Statuta custodiantur ab omnibus, et nemo in actionibus, vel judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur. Decr. Greg. IX. Lib. I. Tit. 2. cap. 1.

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO

DOMINO

JOSEPHO GAGANECZ,

PROVIDENTIA DIVINA

SECUNDO EPISCOPO

EPERJESSIENSI,

LITERARUM EXIMIO CULTORI,

DIOECESIS,

QUAM FELICISSIME REGIT, ZELOSISSIMO PROTECTORI, CLERI, POPULIQUE SIBI CREDITI PATRI AMANTISSIMO, AC GRATIOSISSIMO.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine Praesul, Domine, ac Pater semper Gratiosissime!

Pluribus officiis, ac beneficiis ecclesiasticis admotus, nec non curae animarum praefectus, non sine animi desiderio observavi, V. Clerum in cura animarum positum notabilem in sacrorum Canonum usu videre defectum propterea, quod ipsius vasti Libri Corporis Juris canonici, et secus jam satis rari possessione careat; quamvis autem non dubitem, imo positive sciam, quemlibet Curatum, unum alterumve possidere Juris Commentarium; raros tamen ad ipsum fontem, e praemissa ratione accedere quire, experientia doctus sum; ideo dudum jam desiderabam et ipse ejusmodi possidere manuale subsidium, in quo compendium Constitutionum Apostolicarum,

ipsaeque originales Leges, juxta quas judicamus, ac judicamur, continerentur; et ea unice de causa, sumpto mihi hac in parte modico otio, ipse prius quidem pro usu proprio extractum S. Canonum mihi deduxi, tum vero per quosdam provocatus, constitui idem ipsum manuale publico usui edere, perque id meam erga promovendam ecclesiastici zeli operam quantumcunque testatam reddere; taliterque sacros illos Canones, qui passim ad dogmata fidei, passim ad sacros ritus, tum ad bonos mores, ac rectam Ecclesiae administrationem pertinent, in exiguum libellum, et quidem, ut eo facilior eorum usus fieret, juxta materias redigere adnisus fui. Fateor equi-

dem Illustrissime Domine Praesul, multum me animo cruciatum exstitisse, quosnam in specie S. Canones assumere, quos item penitus exmittere oporteret; cum enim in tanta legum, ac jurium multitudine aliqua jam antiquata sint, et per non usum abrogata; ast qnaenam sint haec, non mea vilis judicare poterit opinio, sed requireretur eatenus summae potestatis auctoritas; quia et ipse vasti Corporis Juris auctor Gratianus, tum ex Libris Conciliorum, tum ex historia ecclesiastica, tum e Scriptura sacra, ac deniqne sanctorum Patrum scriptis jura, legesque compillando, ut candide fatetur Belarminus in libro de Script. eccl. non semper authenticus esse

supponitur, sed denique et ipsum jus novum in multis de antiquo aliquid derogat; propterea me ipsum hac in re secutus, illos passim excerpere bonum vidi S. Canones, ac Conciliorum Decreta, qui mihi sive pro usu judicii ecclesiastici, sive pro notitia antiquitatis, sive demum ad componendos mores accomodatissimi videbantur, eosque praenotavi, prout hoc opusculo continentur.

Siquidem vero et ipsa judicia ecclesiastica saepe in civilibus etiam legibus suas fundarent sententias, sed et ipsi V. Clero, utpote in Civitate viventi, Leges civiles scitu quam maxime necessariae forent; hinc aliquos, maxime tamen Ecclesiam Dei, hujusque negotia,

et personas imprimis tangentes, e Corpore Juris Hungarici collegi Legum articulos; et ideo opusculum isthoc in duas distingvere licuit Partes: ut sic Pars prima Canonibus sacris, et Conciliorum Decretis, Pars vero secunda Legibus civilibus hungaricis absolveretur; in elucubrando vero toto opere hac unice intentione pro scopo habita volui, ut V. Clerus actiones suas juxta regulam componendo, semet in Legibus canonicis, velut in speculo intueretur, et in casu necessitatis, etiam contra impetitiones nefors semet tuendi, qualetale habeat auxilium.

Sed quid mea privati utpote servi Dei valebunt optima quaeque molimina si, haec

in auctoritate, velut forti clypeo non habuerint praesidium; ideo humillime veniam exoro, quod magnum, praepotensque Illustritatis vestrae praesidium implorem supplex, eidemque Illustritati vestrae libellum praesentem devovendo, velut sub umbra potestatis, auctoritatisque tutus lucem publicam vel a procul considerare cupiam; et sane magna mihi est hac in parte praesumptio; ast Illustritatem Vestram cominus intuendo, persvadeor mihi securissime, Eandem adeo benigni esse genii, ut absque omni cunctatione praesidium in Eadem invenire sperem; novi porro Ejusdem animum, novi cor, novi denique illos indefessos labores, queis omnibus nil, tantum

salutem, bonum, ac emolumentum V. Cleri sui promovere non tam desiderat, quam luctatur, vidi deniqne et experior, quantopere non tantum physicum bonum, sed etiam animae perfectionem crediti sibi cleri aucupetur, verbo in Illustritate vestra bonarum artium cum zelo junctum venerari felix sum praesidium.

Dignetur proinde Illustritas vestra demisse exoro, et meam exignam erga promovendum bonum commune operam gratioso suo, ut consvevit, donare animo, praesentemque libellum, velut tenerrimi mei erga Eandem Illustritatem Vestram amoris, ac candoris, veraeque subjectionis monumentum, tum

vero erga V. Clerum sincerrissimum studium, sub suum praepotens sumere praesidium, ac patrocinium, illudque in usum V. Cleri sui, sua Archipastorali auctoritate benigne protegere; taliter ego praemium laboris certe maximum consecutus sum, si in hoc Illustritati Vestrae vel minimum praestare valui homagium, atque debitum officium.

Devotissimus filius

Alexander Duchnovics m. p.

Custos Canonicus.

1078. Opus isthoc per Ordinariatum revisum, pro parte Dioecesis Eperiessiensis typis mandandum decerni. Eperjes die 28. Octobris 1846.

ad gratiosum Suae Illustritatis Episcopalis
Mandatum
Petrus Schirilla m. p.
Officii Dioecesani Protocollista.

N o t a.

In Parte I. Citationes designant:

Dist. vel D.	designat:	Distinctione.
Can. vel C.	„	Canone.
Caus.	„	Causa.
q.	„	quaestione.
L.	„	Libro
T. vel Tit.	„	Titulo.
Cap. vel C.	„	Capite, vel Capitulo.

In Libris namque sunt Tituli, et Capita, in Causis quaestiones et Canones, in Distinctionibus tantum Canones.

Sext.	designat:	Sexti Decretalium Librum.
Sept.	„	Septimi. „ „
Clem.	„	Clementinarum Librum.
Extr. Joa.	„	Extravagantes Joannis.
Extr. Com.	„	Extravagantes communes.
Can. Apost.	„	Canone Apostolorum.
„ Poenit.	„	„ Poenitentiali.

In Parte II.

Art. vel A. —	denotat:	Articulo.
1-mae, 2-dae	„	Partis primae, secundae.
D. vel Decr.	„	Decreti.
L.	„	Libro.
D. C. S. P. T. d.	„	Decisionum Curialium Sectione Parte Titulo decisione.
Pr. Cr.	denotat:	Praxis Criminalis.
ibid. vel ib.	„	ibidem.

ABORTUS.

Qui dat causam abortioni, homicida est, si conceptum erat vivificatum animal rationale. L. 5. T. 12. c. 20.

ACCEPTATIO PERSONARUM.

Deus non merita Personarum considerat, sed officia Sacerdotum. Caus. 1. q. 1. can. 83.

ACTIO.

Libellus actionalis scripto debet dâri, secus Judex non tenetur actorem mittere ad litigandum; debet autem libellus esse realis, seu ita specificari, ut evitetur omnis obscuritas, et aequivocatio; quia non tenetur reus respondere libello in actione personali, si non exprimitur causa petendi. L. 2. T. 3. c. 1. et seq.

Vide: *Judicium.*

ACCUSATIO.

Accusator Fratrum, si non probet, excommunicetur. Dist. 46. can. 4. item caus. 3. q. 10. can. 1. et seq.

Si mala fama de Presbytero exierit, et accusatores, ac testes legales defuerint, sacramento famam suam purget. Caus. 2. q. 4. can. 6. item caus. 2. q. 4. can. 16.

Siquis erga Episcopum, vel actores ecclesiae quamlibet querelam justam se habere crediderit, non prius Primates, aut alios Judices adeat, quam ipsas a quibus se laesum putat, conveniat familiariter, non semel, sed saepissime, ut ab eis vel suam justitiam accipiat, aut justam excusationem. Caus. 2. q. 7. can. 16.

Clericos, aut laicos accusantes passim, et sine probatione ad accusationem non recipiendos decernimus, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio. Caus. 2. q. 7. can. 49.

Accusatio omnis munita sit idoneis testibus, vel documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis. *Ibid.* q. 8. can. 2.

Accusator, qui non probaverit, poenam talionis patiatur. *Ibid.* can. 4. et caus. 3. q. 6. can. 1.

In accusatione criminis, aut facti, dies, mensis, locus, in quo accidit scelus apponi debet, secus rei nomen aboletur. ibid. can. 5.

Accusatio sacerdotum nonnisi ab idoneis, et probatissimis viris, qui et suspicionibus, et sceleribus carent, fieri debet; quia a vilibus et reprobis, ac non idoneis personis eos infamare Dominus noluit. caus. 2. q. 7. can. 15. et 17.

Accusatus, si inducias petierit, hae ei absque impedimento concedantur; et quidem ad sex

menses ut accusatus se, et testes praeparare, atque contra insidiatores se pleniter armare valeat. caus. 3. q. 3. can. 1. et 2.

Absque duobus vel tribus testibus non recipiantur accusationes. Caus. 2. q. 7. can. 19.

Monachi in accusatione sacerdotum testificari non possunt. *ibid.* can. 53. et 54.

Accusatoribus inimicis vel de inimici domo prodeuntibus, vel qui cum inimicis immorantur, aut suspecti sunt, non credatur. Caus. 3. q. 5. Can. 3.

Omnes infames, cunctique suspecti, vel inimici, et ii qui non sunt eorum gentis, vel quorum fides, vita et libertas nescitur, qui non sunt bonae conversationis, vel quorum vita est accusabilis, ab omni accusatione funditus submoventur. *ibid.* can. 6.

Accusator clericorum una Judex non fiat; item ne sit eorum servus, aut libertus, nullaque suspecta persona, aut infamis. *ib.* can. 8.

Homicidae, malefici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, venefici, suspecti, criminosi, domestici, perjuri, et qui falsum testimonium dixerunt, similesque eorum nullatenus ad accusationem, vel ad testimonium sint admittendi. *ib.* can. 9.

Sed neque familiares, ac de domo prodeuntes, vel consangvinei admittantur. *ib.* can. 12.

Neque admittitur ad accusandum, qui in excommunicatione constituitur. Caus. 4. q. 1. can. 1.

Quodsi indigna ad accusandum persona inve-

nitur, ad ejus accusationem non judicetur, nisi pro capite Regiae Majestatis causa versatur. Caus. 3. q. 9. can. 9. et caus. 4. q. 6. can. 3. et 4.

Quoties clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, et unum ex his de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cetera jam non admittantur. Caus. 3. q. 10. can. 1.

Sacerdos a Criminosis accusari non permittitur. Caus. 6. q. 1. can. 1. et seq.

Episcopus si tantum solus alieni sceleris conscium se novit, quamdiu probare non potest, nihil proferat. *ib.* q. 2. can. 2.

Accusati nisi prius se purgent, alias accusare non possunt. Caus. 3. q. 11. can. 1. et seq. item Lib. 2. Tit. 20. cap. 56.

Mulier condemnata testimonium dicere lege Julia prohibetur; non est permissum mulieri publico judicio quemquam reum facere, nisi Parentum, Cognatorum mortem exequatur. Caus. 15. q. 3. Can. 1. et 2.

Non statim qui accusatur, est reus, sed qui convincitur criminosus. *ib.* q. 8. Can. 5.

Accusans uxorem de adulterio coram Judice seculari, personaliter, coram ecclesiastico vero etiam per Procuratorem agere poterit. Lib. 1. Tit. 38. cap. 5.

Si ex cujuspiam fassione innotescat crimen in alium, huic poena hac ex causa non est infligenda, sed purgatio infammato est indicenda. L. 2. T. 18. c. 1.

Si legitimus non fuerit accusator, non fatigatur accusatus. L. 5. T. 1. c. 1.

Accusare non potest, qui non praemonuit, item cohabitans inimicis, laicus inimicus Clericum, nec non publicus concubinarius, excommunicatus, conspirator. L. 5. T. 1. C. 2. e. seq.

Ceterum vide: *Testis. Calumniator.*

ADJUTOR.

Adjutor, qui passim Coadjutor dicitur, tantum absque spe successionis dari potest. Conc. Trid. Ses: 25. cap. 7. de ref.

ADOPTIO.

Per adoptionem quaesita fraternitas eousque impedit nuptias, donec manet adoptio. Caus. 30 q. 3. can. 6.

Inter adoptatum, et filiam adoptantis non potest durante adoptione consistere matrimonium L. 4. T. 12. c. unic.

ADULATOR.

Adulator, et proditor Clericus ab officio deponatur. Dist. 46. c. 3.

ADULTERIUM.

Clericus fornicationem, vel adulterium committens deponatur. Can. Apost. 24. item Dist: 28. cap. 9. et Dist: 56. can. 33. Dist: 50. c. 29. Dist: 81. c. 12 et seq. Dist: 82. c. 2. et seq. et *ibid*: can. 5. item. Sept: L. 3. T. 1. c. 3. ex seq. et *ibid*: L. 5. T. 16. c. 1.

Nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam habere, aut subintroductam mulierem. Dist: 32. c. 5.

Siqui sunt Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui in crimine fornicationis jacent, interdicimus eis Ecclesiae introitum usquedum poeniteant; si vero in suo peccato perseverare maluerint, nullus eorum officium audiat. Dist: 81. c. 15 et seq.

Solus Clericus ad foeminae tabernaculum non accedat, nec solus Presbyter cum sola foemina fabulas misceat. Dist: 81. c. 20.

Siquis Episopus fornicationi Presbyterorum consenserit, ab officio suspendatur. Dist: 83. c. 1.

Hi qui alteri deserviunt, si in carnis fragilitate corruerint; et paenituerint, maneat in potestate Pontificis (Episcopi) afflictos non diu suspendere, ne possint tamen ad altiora officia promoveri; si vero ad vomitum reciderent, etiam sancta communione priventur. Caus: 15. q. 8. c. 2.

Adulterae conjuges reatu sunt viris suis obnoxiae. Caus: 27. q. 1. c. 1.

Ipsa confabulatio, et osculatio quantum dedecoris, et criminis confitetur? Cau: 27. q. 1. c. 4.

Si Virgines ad eosdem masculos postmodum reversae fuerint, aut si cum iisdem in una domo, et sub eodem tecto simul habitaverint, graviore censura ejiciantur. Caus: 27. q. 1. can. 5.

Clericus deponatur, qui cum moniali moechatus est. *ibid.* can. 6.

Si Clericus causa fornicationis ad suam poenitentialem accedat, dignitatis gradum amittat. Caus: 30. q. 1. can. 8. et seq.

Fatuus, et injustus est, qui retinet meretricem Uxorem, nam patronus est turpitudinis ejus, qui crimen celat Uxoris. Can. 31. q. 3. c. 1.

Qui alterius Uxorem stupro violavit, juravitque ei se eam post obitum mariti in Uxorem suam ducere, tale matrimonium prohibetur. Caus. 31. q. 1. cap. 4.

Causa fornicationis dimitat Vir Uxorem, non tamen aliam ducat. Caus. 32. q. 1. c. 2.

Qui vero uxorem suam adulteram dimittere noluerit, duobus annis poeniteat, si ei debitum reddiderit, intelligitur tamen, si uxor poenitentiam de crimine non fecisset, *ibid.* can. 4. facta namque poenitentia adulteram recipere potest. *ibid.* can. 5. et seq.

Clericus tamen in sacris ordinibus constitutus, si cum adultera uxore sua (crimine cognito) copulam celebret, evadit irregularis. Conc. Trullanum. can. 26.

Non hoc solum est adulterium cum aliena peccare conjuge, sed omne, quod non habet potestatem conjugii. Caus. 32. q. 4. c. 4.

Illicitus concubitus, et omnis non legitimus usus illorum membrorum, nomine moechiae intelligitur. Cau. 32. q. 4. c. 11.

Adulterium perpetratur, dum vel innupta turpiter concupiscitur. Can. 32. q. 5. c. 13.

Christiana Religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat, sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consveverunt. *Ibid.* c. 23.

Nihil iniquius est, quam fornicationis causa dimittere Uxorem, si et ipse convincitur fornicari. Can. 32. q. 6. can. 1. imo conjugem de adulterio impetere non potest, qui et ipse adulterium commisisse convincitur. L. 5. T. 16. c. 6. et 7.

Viri magis sunt puniendi de adulterio, quam mulieres. Can. 32. q. 6. can. 4. et 5.

Si vir accuset mulierem de adulterio coram judice seculari, debet personaliter id agere, propter poenam talionis, si vero accuset coram judice ecclesiastico, potest per Procuratorem, vel scripto, quia hic agitur de divortio thori. L. 1. T. 38. c. 5.

Accusatus de adulterio ad separationem thori, non debet lite pendente privari possessione conjugali. L. 2. T. 16. c. 2.

Adultera conjux, quam maritus reconciliare non vult, ad agendam poenitentiam in aliquo claustro collocatur. L. 3. T. 32. c. 19.

Si notorium est mulierem adulterium commisisse, ad eam recipiendam vir cogi non debet, nisi et ipse adulter sit. L. 4. T. 19. c. 4.

Siquis seduxerit virginem nondum desponsatam dormieritque cum ea; dotabit eam, vel habebit in uxorem. L. 5. T. 16. c. 1. et 2.

Maritus retinens adulteram conjugem non peracta poenitentia, particeps est delicti ejus; secus si egerit poenitentiam; — non tamen debet eam saepe recipere. *ibid.* c. 3.

Maritus propter suspitionem potest accusare uxorem de adulterio. *ibid.* c. 4.

Ad solam mulieris confessionem asserentis se admisisse adulterium cum Sacerdote, non debet Sacerdos puniri, sed infamato potest indici purgatio. *ibid.* c. 5.

ADVOCATUS.

Non licet Advocato ullum contractum inire, ullam pactionem conferre cum eo litigatore, quem in propriam recipit fidem, nec ex industria jurgium protrahere. Caus. 3. q. 7. §. 10. can. 2.

Advocato licet vendere justum patrocinium. Caus. 11. q. 3. can. 71.

Qui sciens recipit instrumentum Procurationis Dominum defendere cogitur. Clem. L. 1. T. 10. c. 1.

Ad officium Judicis spectat providere Advocatum parti, quae non potest habere, et poterit dare domesticum, (Pauperum Advocatum) L. 1. T. 32. c. 1.

Clericus in seculari foro Advocatum agere (postulare) non praesumat, nisi pro se, vel sua Ecclesia, vel miserabilibus personis. L. 1. T. 37. c. 1. et seq.

Non audiatur tamquam alterius Procurator, nisi habeat constitutionem, L. 1. T. 38. c. 1.

Non potest quis cogi nisi velit, in gravioribus causis Procuratorem constituere. *ibid.* c. 2.

Sententia lata cum Procuratore revocato, et de hoc certificato non praejudicat Domino. *ib.* c. 3.

Falsi Procuratoris exceptio non solum ante sententiam, verum etiam post hanc potest objici; utpote qua probata judicium nullum, et nullius momenti controversiae reputantur. *ibid.* c. 4.

Excommunicatus Procurator esse non potest (in causa ecclesiastica) L. 2. T. 19. c. 7.

Ceterum vide: *Procurator.*

AETAS.

In aetate ad Episcopatum requísita dispensat Papa. Extr. com. L. 3. T. 2. cap. 8.

Puberes sunt quoad matrimonium qui ex habitu corporis concipere, et generare possunt; et ideo, si ita fuerint aetate proximi, quod potuerint copula carnali conjungi, minoris aetatis intuitu separari non debent, si unus in alium visus fuerit consensisse, cum in eis aetatem malitia supplevisse videatur. Decr. L. 4. T. 2. c. 3. et 9.

AFFINITAS.

Siquis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec a Matre debitum petere, nec filiam unquam habere potest in uxorem. L. 4. T. 13. c. 1.

Affinitas superveniens per illicitum coitum dissolvit sponsalia de futuro, sed non Matrimonium; et incaestuosus contrahere non potest. *ibid.* c. 2.

Is qui cum sorore legitimae uxoris fornicatur, poterit, et debebit cum Dei timore debitum ei solvere conjugale; cum affinitas post ma-

trimonium inique contracta illi nocere non debeat, quae iniquitatis particeps non exstitit. L. 4. T. 13. c. 10.

Affinitas superveniens, de qua saltem constat per famam, solvit sponsalia de futuro. L. 4. T. 14. c. 2.

Infideles conjuncti in gradu prohibito, suscepto baptismo non separantur. *ibid.* c. 4.

In gradibus prohibitis non possunt Matrimonia contrahi, etiamsi hoc habeat consvetudo. *Ibid.* c. 5.

Consangvinei mariti cum consangvineis uxoris, et vicissim, licite contrahunt. *Ibid.*

Ultra quartum Consangvinitatis et Affinitatis gradum prohibitio non extenditur. *Ibid.* c. 8. et 9.

Affinitas aut Cognatio e fornicatione proveniens, juxta Decretum Conc. Trid. tantum ad primum, et secundum gradum extensum, impedimentum dirrimens constituit. Sept. L. 4. T. 2. c. 4.

Scienter contrahens Matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum moniali, excommunicatur ipso jure. Clem. L. 4. T. unic.

Affinitas ex fornicatione ad secundum gradum restringitur. Conc. Trid. Sess. 24. c. 4.

ALTARE.

Licitum non esto aliud quidpiam admovere ad altare, quam oleum, et candelabrum, et incensum. Can. Apost. 3.

APPELLATIO.

Appellantem non debet afflictio ulla carceris, aut detentionis custodia injuriare. Caus. 2. q. 6. c. 2.

Si quis putaverit se a proprio Metropolitano gravari, apud Patriarcham, vel Primatem, aut penes universalis Ecclesiae Sedem judicetur. *ibid.* c. 7.

Quicunque non confidentia causae, sed causa afferendae morae, ne contra eum Sententia proferatur, appelaverit, vel si de facto suo confessus ne addicatur; hujusmodi appelationes non recipiuntur. *ibid.* c. 25.

Injuste appelans puniendus est. *ibid.* c. 27.

Appelatio ab accepta sententia, huc computato itinere, debet intra quinque dies fieri. *ibid.* can. 22. et juxta ejusdem causae, ac quaestionis canonem 28vum intra decem dies admittitur; intra quos si tamen non appellavit, tunc sententia transit in rem judicatam. L. 2. T. 27. c. 13. et 15. item Sext. L. 2. T. 15. c. 8.

Sane non est sub conditione sententia dicenda. Quare si forte post sententiam statim dictam, copiam sui non fecerit is, qui pronunciavit, dicendum est nihil nocere appelatori; nam ubi primum copiam ejus habuerit poterit provocare. Caus. 2. q. 6. can. 29.

Si graviora sunt crimina ob quae appellatio est interposita, levius autem id, propter

quod non appellavit, recipienda est appellatio, et differenda poena; si vero graviorem sententiam meruit ex ea specie, ex qua non appellavit, omni modo poena imponenda est. *ibid.* c. 31.

A judicibus, quos communis consensus elegerit, non licet provocare. *ibid.* c. 33.

Ei qui appelat conceditur annus, intra quem secundum se communiter cum adversario litem exequatur, aut si justa causa intercesserit, alius annus indulgeatur, quo transacto, lite non completa, rata manet sententia. *ibid.* c. 41.

Si is, qui appellavit, poenitentia ductus ab appellatione desistere voluerit, non prohibetur. *ibid.* c. 41. *In Notis.*

Nullus voce propria vitium, scelusque confessus audiatur appellans. *ibid.* c. 41. *In Notis.*

In corrigendis excessibus Clericorum, et causis visitationis appellatio locum non habet. L. 1. T. 31. c. 12. et 13. item Sept. L. 2. T. 9. c. 6. nec non L. 2. T. 28. c. 3. et Conc. Trid. Ses. 13. c. 1. et 2. ac Ses. 22. c. 1. de ref.

Si Procuratori generali denegantur induciae ad consulendum Dominum, ex causa probabili absentem, poterit Procurator appellare. L. 1. T. 38. c. 11.

Post appellationem receptorum testium attestationes irritae sunt, et inanes. L. 2. T. 6. c. 4.

Si probat quis actum gestum post appellationem, et adversarius probat quod ante, praefertur prima probatio. L. 2. T. 20. c. 16.

Licite appellatur a judice, qui parti petenti non facit edi communia Instrumenta. L. 2. T. 22. c. 12.

Ab executione sententiae non appellatur, nisi in executione modus excedatur. L. 2. T. 27. c. 15.

Ab eadem sententia potest appellare non modo convictus, sed et tertius cujus interest. *ib.* c. 17.

Appellatio generalis super omni causa non valet. L. 2. T. 28. c. 1. et 18.

Si appellans intra terminum a judice a quo appellavit, appellationem non prosequitur, sententiae, vel judicio illius stare compellitur. *ib.* c. 4.

Appellationibus annus indulgetur, nisi forte judex, a quo appellatum fuerit, rescissius tempus fuerit moderatus; intra quod tempus si appellans causam prosecutus non fuerit, tenebit sententia, nec amplius super eodem negotio audietur. *ib.* c. 5.

A judice a quo in una causa appellatum est, potest in alia quis conveniri nisi recusetur ut suspectus. *ib.* c. 6. et 24.

Sacri Canones ante et post litis contestationem, et in prolatione sententiae et post, singulis facultatem tribuunt appellandi. *ibidem.*

In Causis ecclesiasticis, ubi appellatae remedium tollitur, sicut appellationi, ita recusationi non est aliquatenus deferendum. *ib.* c. 12.

Si notorium est quem uxorem alterius detinere, aut in Clericum violentas manus injecisse, tali appellata non conceditur. *ib.* c. 14.

Neque huic conceditur appellata, qui ex fraude, et malitia facit. *ib.* c. 15.

Appellans si post interpositam appellationem gravia committit, per Ordinarium a quo appellavit, puniri potest. *ib.* c. 22.

Sententia Interdicti non suspenditur per appellationem sequentem. *ib.* c. 37.

Itineris arreptio habet vim appellatae. *ib.* c. 52.

Per clausulam: „*appellatione remota*" inhibetur omnis appellatio. *ib.* c. 53. et 71.

Non valet consvetudo, quod ab officiali Episcopi ad Episcopum appelletur. Sext. L. 1. T. 4. c. 2.

Appellans super non expressis non audietur. Sex. L. 1. T. 6. c. 4.

Siquis ab interlocutoria, vel gravamine aliquo duxerit appellandum, causam appellationis in scriptis assignet, petat Apostolos, qui ei dari debent, in quibus appellationis causam exprimat, et cur appellatio non sit admissa. Sext. L. 2. T. 15. c. 1.

Appellatio ab officialibus suffraganei non ad suffraganeum, sed ad Archi Episcopalem curiam est facienda, et tunc nullatenus ante definitivam sententiam citentur partes, appellationis ejusdem causa probabili seu legitima non expressa. — Si vero nullatenus aut non intra decem dies post interlocutoriam, vel definitivam sententiam appellatum fuisset, prohibere non praesumant, ne in causa illa ad executionem sententiae pro-

cedatur; si vero in casibus a jure prohibitis (utpote a sententiia super manifesto, et notorio crimine, de quo quis in jure confessus exstitit, promulgata) appellatum fuisse dicatur, potest ne sententia executioni mandetur, inhiberi. Sext. L. 2. T. 15. c. 3.

Si judex requisitus non tradit Apostolos, et postea procedit in causa, non valet Processus, nisi renunciatum fuisset appellationi. *ib.* c. 4.

Judex inique appellantem ante Sententiam remittere debet ad judicem principalem; et in expensis condemnare, et hoc si principalis judex non detulerat appellationi; sed si detulit, non fiet remissio. *ib.* c. 5.

Si appellans intra triginta dies instanter non petit Apostolos, appellationi renunciat. Si judex modo debito requisitus illos non tradit, sed postea procedit, non valet ejus processus. *ib.* c. 6.

Per appellationem interpositam a definitiva revocari potest interlocutoria principali negotio praeiudicans, alias non. *ib.* c. 12.

Archi Episcopi possunt absolvere excommunicatos a suffraganeis, si ad eos appellatum fuerit. Sext. L. 5. T. 11. c. 7.

In causis criminalibus confessi appellare nequeunt. L. 2. T. 5. c. 3.

Acta appellationis (in matrimoniali Causa), per notarium intra mensem debent extradari. Conc. Trid. Sess. 24. c. 22.

APOSTASIA.

Apostata ad Clericatus officium non admittitur. Dist. 50. c. 69.

Apostatae Presbyteri revertentes eum laicis communicent. Caus. 1. q. 7. e. 1.

Clericus Apostata perdit privilegium canonis. L. 5. T. 9. c. 1.

Infamatus de Apostasia compellitur se purgare, secus apostata carcere detineri poterit. *ib.* c. 3. et 5.

ARBITER.

In matrimoniali causa arbiter nequit assumi. L. 1. T. 41. c. 9.

Arbitri dispari numero assumantur, et eis discordantibus, sententia majoris partis stat. L. 1. T. 43. c. 1.

Arbiter non habet potestatem judicandi ultra comprehensa in compromisso, ideo coram eo non fit reconventio. *ib.* c. 5.

In rebus ecclesiastieis arbiter secularis esse non potest, nisi auctoritate judicis. *ib.* c. 8. et 9.

Si ex tribus arbitris duo concordant in summa, tenet illorum sententia, si omnes discordant, tenet sententia de summa minori. Sext. L. 1. T. 22. c. 1.

ARCHI DIACONUS.

Archi Diaconus sine consensu Episcopi nec Praebendas, nec Parochias distribuit, Caus. 16. q. 7. c. 11.

Ut Archi Diaconus post Episcopum sciat se Vicarium esse ejus in omnibus, et omnem curam in Clero, tam in Urbe positorum, quam eorum qui per Paraecias habitare noscuntur, ad se pertinere, sive de eorum conversatione, sive honore, et restauratione Ecclesiarum, sive doctrina Ecclesiasticorum, vel ceterarum rerum studio; et delinquentium coram Deo rationem redditurus est: et ut de tertio in tertium annum, si Episcopus non potest, Paraeciam universam circumeat, et cuncta quae emendatione indigent, ad vicem sui Episcopi corrigat, et emendet. L. 1. T. 23. c. 1.

Archi Diaconus sine mandato sui Episcopi non committit curam animarum, idest non habet institutionem authorisabilem. *ib.* c. 4.

Archi Diaconus semel in anno (nisi necessitas exigat plus) visitat suam provinciam. *ib.* c. 6. audire debet jurgia singulorum, Paraeciarum solicitudo, et earum ordinatio ad ipsum pertinet; Decani ejus jurisdictioni se noverint subjacere. Est Episcopi vicarius, omnem solicitudinem et curam tam in Clericis, quam in Ecclesiis eorum impendendo. Oculus Episcopi appellatur, ut loco Episcopi prospiciens, quae corrigenda viderit, corrigat et emendet. Decanus sicut per Episcopum, ita et Archi Diaconum communiter est eligendus, vel amovendus. *ib.* c. 7. examinat et praesentat ordinandos, et ponit Praelatos in sede. *ib.* c. 9.

Archi Diaconus visitans 5. vel 7. equis contentus sit, nec sumptuosas epulas quaerat, sed

cum gratiarum actione recipiat, quod honeste ac competenter illi fuerit ministratum. L. 3. T. 39. c. 6.

Visitationis officium exercentes Archi Diaconi non quaerant quae sua sunt, sed quae Jesu Christi, praedicationi, cohortationi, et correctioni, et reformationi vacando. *ib.* c. 23.

Si constiterit Archi Diaconum Episcopum suum Dominum esse negasse, ab Ecclesia ejiciatur. L. 5. T. 31. c. 15.

ARCHI PRESBYTER.

Vide : *Decanus.*

ASYLUM.

Confugientes ad Ecclesiam extradare non licet. Dist. 87. can. 6. et 7.

Non licet hominem de Ecclesia rapere. Caus. 17. q. 4. can. 8. et seq.

BAPTISMUS.

Baptisma generale nonnisi Sabbatho Sancto Paschae, et Pentecosten celebrandum foret. Dist. 4. Can. 11. et seq. sed necessitate cogente, nequis sine remedio salutari exitio praeventus excedat, permissum est quolibet tempore baptisare. *ib.* can. 16 et seq.

Constat baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, ejusque ministerium nec ipsis Diaconis explere est licitum absque Episcopo vel Presbytero, nisi his procul absentibus, ultima lang-

voris necessitas cogat. Quod et laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de seculo evocetur. *ib.* c. 19.

Mulier quamvis docta, et sancta Viros in conventibus docere vel aliquos baptisare non praesumat. *ibid.* c. 20.

Si Judeus in nomine Trinitatis baptiset, non est iterandus talis baptismus. *ibid.* c. 24.

Et per bonos, et per malos Ministros aeque baptisat Christus. *ibid.* c. 38.

Ad baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinet cujusquam vel dantis, vel accipientis error, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu Sancto aliter sentiat, quam coelestis doctrina insinuat. *ibid.* c. 48.

Parvuli alio profitente baptisantur, quia adhuc loqui, vel credere nesciunt, sicut etiam aegri, muti, et surdi, pro quibus alter profitetur, et respondet. *ibid.* c. 74. et 77.

Judaei antequam baptisentur, prius octo menses inter catechumenos Ecclesiae limen introeant. *ib.* c. 93. et 96. possunt tamen probati baptisari praemissa 40 dierum poenitentia, et abstinentia *ibid.* c. 98.

In baptismo, et Confirmatione unus Patrinus fieri potest. *ibid.* c. 100. et 101. non baptisatus vero vel non confirmatus alium suscipere nequit *ibid.* c. 103.

Abbas Monachorum, vel quiscunque Monachus Patrinus esse non potest. *ib.* c. 103. et 104.

Qui filios in baptismo suscipiunt, symbolum, et orationem Dominicam et ipsi teneant, et susceptis ostendant. *ibid.* c. 105.

Parvulos de quibus certum non est, an baptisati sint absque scrupulo baptisandos esse (sub conditione) *ibid.* c. 110. et seq.

Baptismus sive per bonum, sive per malum ministretur, reiterari non debet. Caus. 1. q. 1. c. 46.

Pro perceptione baptismi, vel Chrismatis aliquid exigere non licet. *ibid.* c. 102. et seq.

In Monasterio baptisma, fieri non permittitur. Caus. 18. q. 2. c. 7.

Baptismus conferri potest etiam subito obmutescenti, si voluntatis praeteritae testimonium habetur. Amentibus etiam, quaecunque pietatis sunt, conferri possunt. Caus. 26. q. 6. c. 7.

Non separetur ab uxore, qui necessitatis causa filium suum baptisavit. Caus. 30. q. 1. can. 7.

Uxor simul cum viro filium alicujus in baptismate non suscipiat. Caus. 30. q. 4. can. 6.

De quorum baptisatione dubium est, rebaptisari debent sub conditione. L. 3. T. 42. c. 2.

Nullus in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos audeat baptisare (demptis Regum, vel Principum liberis, aut si necessitas emerserit) secus faciens per Episcopum castigetur. Clem. L. 3. T. 15. c. unic.

Unus tantum, vel duo Patrini adhibeantur in Baptismo, et Chrismatione; iique in Libro Matriculari scribantur, quodsi alii (pro Patrinis non designati) baptisatum tetigerint, cognationem non contrahunt. Dist. 4. c. 100. Sext. L. 4. T. 3. c. 3. Conc. Trid. Ses. 24. c. 2.

BENEFICIUM.

Nemo quacunque dignitate, aut gradu praefulgeat, plures cathedrales Ecclesias tenere praesumat, et possessas intra annum dimittat. Conc. Trid. Ses. 7. c. 2. 4. 5.

Duo beneficia nulli licet tenere, nisi unum sit simplex, neque requirat personalem residentiam. *ibid.* ses. 24. c. 17.

Beneficium Ecclesiasticum, vide: *Parochia.*

BIGAMIA.

Siquis abjecta sua uxore, alteram duxerit, a communione segregator. Can. Apost. 47.

Qui secunda Conjugia sortitur, Clericus non fiat. Dist. 34. c. 14. item L. 1. T. 21. c. 1. et seq.

Laica sit tantum communione contentus Clericus Viduam, vel secundam ducens Uxorem. Dist. 84. c. 5.

Excommunicandus est, qui duas simul Uxores habere praesumit. Caus. 24. q. 3. can. 19.

Bigami probantur, qui ante baptismum habuerunt unam, et post baptismum alteram uxorem. Caus. 28. q. 1. c. 1.

Non potest quis post baptismum alteram ducere, vivente ea, quae ante baptismum sibi fuerit virgo copulata. *ibid.* q. 2. c. 1. si tamen infidelis odio christianae religionis discedat, parti fideli, etiam hac vivente aliam ducere licet. *ibid.* c. 2.

Nequit esse Episcopus, qui ante baptismum habuit unam, et post baptismum alteram Conjugem. *ibid.* q. 3. c. 2.

Quae alteri nupserit, putans virum suum mortuum esse, illo redeunte, ad priorem redire cogitur. Caus. 34. q. 1. et 2. can. 1.

Siquis vivente uxore, contrahit cum secunda hoc ignorante, prima mortua ad sui petitionem non separabitur a secunda. L. 4. T. 7. c. 1. si vero scienter id fecerit, separatur. *ibid.* c. 2. 7. et 8.

Nullus ad secundas nuptias migrare praesumat, donec ei constiterit de obitu primae uxoris. L. 4. T. 21. c. 2.

BIGAMIA INTERPRETATIVA.

Qui virginem non duxit uxorem ad sacros Ordines non accedat. Dist. 34. c. 9. et 10. neque fiat sacerdos, cujus uxorem evidenter constat adulterium admisisse. *Ibid.* can. 11. et 12. Si vero Uxor Presbyteri notorie adulterium commisit, et idem Presbyter facti hujus conscius cum eadem adultera copulam porro celebraverit, irregularitatem, e capite bigamiae interpretativae incurrit. Conc. Trull. can. 26.

Bigamus nudatus est omni Privilegio Clericali. Sext. L. 1. T. 12. cap. unic.

BIRSAGIUM.

Ex contumatia condemnatus, si infirmitatem probaverit, absolvitur, non enim cogi quis potest ut Procuratorem pro se constituat. L. 1. T. 38. c. 2.

Condemnatur in birsagio reus, si a judicio recessit, et Procuratorem solum ad agendum misit. *ibid.* c. 12.

BLASPHOEMIA.

Siquis Clericus blasphoemaverit contra Deum, deponatur. Caus. 22. q. 1. can. 10. item Sept. L. 5. T. 7. c. 2.

CALIX.

Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc Sacerdotes e contrario lignei aureis utuntur calicibus. Tunc deinde Urbanus Papa omnia ministeria sacra fecit argentea. Dist. 1. can. 44. consecr.

Calix Domini cum patena si non ex auro, omnino ex argento fiat, nullus autem in ligneo, aut vitreo calice Missam celebrare praesumat. Dist. 1. can. 45. de cons.

CALUMNIA.

Si Clericus Episcopum contumelia affecerit, deponatur; si vero Presbyterum, vel Diaconum, a Communione segregetur. Can. Apost. 54. et 55.

Imperatorem, aut Magistratum contumelia afficiens Clericus deponatur. Can. Apost. 83.

Siquis circa personas non probanda detulerit, intelligat se jacturam infamiae sustinere. Caus. 2. q. 3. c. 1.

Calumniator si in accusatione defecerit, talionem recipiat. Caus. 2. q. 3. can. 2. 3. et 6.

Siquis iratus crimen aliquod cuilibet temere objecerit, convitium non est pro accusatione habendum. *ibid.* can. 5.

Excommunicentur qui oprobrium et calumniam inferunt Sacerdotibus. Caus. 3. q. 1. can. 6.

Puniendi sunt testes, qui ad calumniam aliquid testificantur. Caus. 3. q. 9. can. 16.

Qui falsa fratribus objiciunt, usque ad exitum causae non communicent. Caus. 3. q. 10. can. 1. et seq.

Qui in alterius famam publice scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, et non probaverit, flagelletur. Qui invenerit ejusmodi scripta, et non corruperit ea, auctoris facti causam incurrit. Caus. 5. q. 1. c. 1. et seq.

Omnis qui aliis falsa intulerit, puniatur, et pro falsitate ferat infamiam. Caus. 5. q. 6. c. 1. et seq.

Delatori (falso) lingva capuletur, aut convicto caput amputetur. Leg. secul. Hadriani cap. 49. — Caus. 5. q. 6. can. 5.

Qui innocentem falso crimine maculaverit, diuturna poenitentia expurgetur, vel a communione coerceatur. Caus. 5. q. 6. can. 7. et 8.

Raptoribus deteriores sunt Episcoporum detractores. Cau. 6. q. 1. c. 15. et 16.

Qui fratres calumniantur, infames sunt. Cau. 6. q. 1. can. 17.

Qui falsum de aliquo profert, et is qui talia crimina credit, uterque reus est. Caus. 11. q. 3. c. 77.

Denunciator in probatione criminum deficiens, ab officio, et beneficio suspenditur, donec innocentiam suam purget. L. 5. T. 2. c. 2.

Qui plene non probaverit, quod in forma opponit, ad expensas, quas propter hoc pars altera se fecisse docuerit, condemnetur. Qui vero inprobatione defecerit, a beneficiis Ecclesiasticis triennio noverit se suspensum. Sext. L. 1. T. 6. c. 1.

Si inter reliqua quae objiciuntur promovendo ad dignitatem objicitur evidens defectus scientiae, vel personae, illud ante omnia examinari debebit, et si reperietur falsum, opponens a prosecutione negotii repellitur, et punitur perinde, acsi defecisset in probatione omnium objectorum. *ibid.* c. 11. et 31.

CANONES.

In Spiritum sanctum blasphoemat, qui sacros conones violat. Caus. 25. q. 1. c. 5. et seq.

Contra statuta sanctorum Patrum agit, qui ea non servat intacta. *ibid.* can. 13. et seq.

Anathema sit, qui mandata, vel Decreta Romanorum Pontificum servare contempserit. — Caus. 25. q. 2. c. 18.

Vide *Statutum.*

CANONICUS.

Absque Praelati sui licentia Canonicis nihil agere licet. Dist. 5. c. 34.

Canonicus praebendarius tantum unius Ecclesiae, in qua conscriptus est, esse non debet; ergo potest et aliud habere officium. Dist. 70. c. 2.

Si in Causa Canonici Canonicus alter pro judice delegetur, contra hunc exceptio Partis Incattae valet. L. 1. T. 29. c. 35.

Excessus Canonicorum Cathedralis Ecclesiae, qui consveverunt corrigi per Capitulum, ad Monitionem, vel jussionem Episcopi corrigantur, intra terminum competentem ab Eo praefigendum; alioquin Episcopus ipsos per censuram Eccl. corrigere non postponat. L. 1. T. 31. c. 13.

Si Canonicus ad residentiam monitus appellat, statuitur sibi terminus ad appellationem prosequendam, et interim deservitur beneficio per Vicarium de fructibus beneficii sustentandum; et si appellationem non prosequitur, vel residentiam non facit, privatur praebenda. L. 2. T. 28. c.28.

Duo Canonici absentes cum Episcopo, seu in ejus servitio, fructus percipiunt suarum praebendarum in absentia. L. 3. T. 4. c. 15.

Non est congruum, ut praebenda careat, qui in Canonicum noscitur esse receptus. L. 3. T. 5. c. 9.

Canonico Theologo de beneficio praebendae debet provideri. L. 5. T. 5. c. 1. et seq.

Distributiones quotidianae solum praesentibus qui intersunt Divinis dari debent, et qui aliter illas receperunt, non faciunt illas suas; et idem de distributionibus, quae dantur pro anniversariis defunctorum. Sext. L. 3. T. 3. cap. unic.

Canonicus plures dignitates in eadem Ecclesia tenere nequit. L. 1. T. 4. c. 1.

Obtento beneficio Cathedralis Ecclesiae, beneficium prioris Ecclesiae cessat, et ideo alterutram intra spatium sex mensium dimittere debet. Conc. Trid. Sess. 24. c. 17.

CAPITULUM.

Non valet constitutio Collegii in damnum aliquorum; seu absque rationabili causa non potest major pars Capituli tollere consvetudinem, utilitatem privatam nutriendo. L. 1. T. 2. c. 6.

Capitulum sine Episcopo Statuta seu consvetudines novas facere, vel antiquas immutare non potest. L. 1. T. 4. c. 9.

Electio per minorem partem Capituli facta non tenet, nec per subsequentem consensum ratificari potest. L. 1. T. 6. c. 29. 36. et 50.

Si Canonicum Delinquentem Capitulum ad monitionem Episcopi non corrigit, tunc Episcopus sua auctoritate talem censura corrigere debet. L. 1. T. 31. c. 13.

Sede Episcopali vacante Capitulum confirmat, et infirmat electiones. L. 1. T. 33. c. 14.

Sine consensu Capituli Episcopus, vel Praelatus in-, vel destituere, vel alia negotia Eccle-

siae tractare non debet. L. 3. T. 10. c. 1. et seq. item T. 24. c. 4.

In universitatibus Ecclesiasticis praevalet quod fit a majori parte Capituli, et saniori. L. 3. T. 11. c. 1. et 4.

Praelatus cum majori parte capituli, contradicente minore, statuere potest quod ad necessariam reparationem fabricae quilibet Canonicus conferre teneatur. L. 3. T. 11. c. 4.

Episcopo a Paganis capto, non Archi Episcopus, sed Capitulum administrat. L. 1. T. 8. c. 3.

Capitulum, vel is ad quem administratio pertinet, vacante sede eos absolvet, quos absolvere posset Episcopus, si viveret. Sext. L. 1. T. 17. c. un.

In Capitulo vocem non habet non ordinatus, et interim perdit distributionem dimidiam. Clem. L. 1. T. 6. c. 2.

Capitula Cathedralium, et aliarum majorum Ecclesiarum, non obstantibus exemptionibus, Episcopi visitent, corrigenda corrigant, emendent. Conc. Trid. Sess. 6. c. 4.

Sede vacante Capitulum intra octo dies Vicarium idoneum eligere tenetur; secus ad Metropolitanum hujusmodi deputatio devolvitur. — Repleta vero sede Episcopali, idem Capitulum debet rationes Episcopo reddere. Conc. Trid. Sess. 24. c. 16.

CHRISMA.

Chrisma sacrum ante solennitatem Paschae ab Episcopo proprio petatur. Dist. 95. c. 4. et Dist. 4. can. 123. de cons.

Chrisma sacrum sub fideli custodia, clavibus adhibitis in Ecclesia asservetur. L. 3. T. 44. c. 1.

CITATIO.

Citatus per Judicem, coram eodem causam prosequi debet, etiamsi forum mutaverit. L. 2. T. 2. c. 19.

Si reus semet malitiose occultat, ne ad eum Citatio pervenire possit, testes etiam lite non contestata sunt adhibendi; et ad definitivam sententiam procedendum. L. 2. T. 6. c. 5.

Citatio vocatoria cum peremptoria non debet esse nimis brevis, maxime ubi de rebus Ecclesiasticis agitur; Induciae tamen deliberatoriae denegantur reo, si per litteras citatorias plene potuit instrui, et deliberare super eo de quo quaeritur. L. 2. T. 8. c. 1. et seq.

Citatus ad causam tenetur comparere in termino, et dato impedimento in termino, debet quam citius comparere post terminum, alias condemnabitur in expensis. L. 2. T. 14. c. 6.

Si Actor non invenitur, sufficit publice Citationem ad Ecclesiam suam proponi. *ibid.* c. 10.

Contra absentem qui non dimisit Procuratorem, facta citatione domi, nullo defendente, causa custodiae fit missio. L. 2. T. 15. c. 4.

Si citatus ad totam causam constituit Procuratorem quem postea revocat, potest nihilominus contra eum procedi in quantum status Causae patitur, sine alia Citatione. L. 1. T. 38. c. 8.

Impedientibus ne ad eos Citatoriae possint pervenire, litterae citatoriae appenduntur foribus Ecclesiae majoris. Extr. com. L. 2. T. 3. c. un.

CLANDESTINITAS.

Clandestina Matrimonia, seu a Sacerdotibus non benedicta non sunt conjugia. Caus. 30. q. 5. c. 1. et seq.

Si Matrimonium clandestine contraxerunt, altero negante, vel utroque, non apparente legitima probatione, simul cohabitare ab Ecclesia non compellantur, et si illud non publicaverint, tamquam in conspectu Ecclesiae factum comprobabitur. L. 4. T. 3. c. 2.

Matrimonium contrahitur Clandestinum, dum solennitates requisitae non fuerunt observatae, quae describuntur. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. de ref.

CLERICUS.

Clericus, seu Sacerdos is tantum fiat, qui ceteris et sanctior, et doctior habetur. Caus. 8. q. 1. can. 15.

Supra altare mel, lac, vel pro vino cerevisiam offerens Clericus deponatur. Canon. Apost. 3.

Episcopus vel Presbyter seculares curas non suscipito, alioquin deponitor. *ib.* c. 6. et 80.

Siquis cum deposito clerico ut Clerico preces conjunxerit, deponitor et ipse. *ib.* c. 10.

Presbyter, Diaconus, aut Episcopus esse nequit, qui post baptismum duabus implicitus fuit nuptiis, aut concubinam habuit. *ibid.* c. 16. similiter ille, qui Viduam, aut separatam a viro, aut meretricem aut ancillam duxit. Can. 17. nec non qui consobrinam, aut duas sorores duxit. Can. Apost. 18.

Eunuchus violenter aut casualiter factus poterit esse Episcopus *ib.* Can. 20. sed si culpa propria effectus est, Clericus non efficitor. *ib.* can. 21. et si hoc in clericatu fecit, deponitor. *ib.* c. 22.

Clericus in fornicatione, aut perjurio, aut furto deprehensus deponitor. Can. Apost. 24.

Clericus tantum in Lectoratus ordine nuptias celebrare poterit. *ib.* c. 25.

Clericus percussor deponi jubetur. *ib.* c. 26.

Clericus depositus si ministerium attingere praesumpserit, ab Ecclesia abscindatur. *ibid.* c. 27.

Presbyteri et Diaconi absque Voluntate Episcopi nihil peragant. *Ibid.* c. 38.

Clericus, qui ebrietatibus et aleae indulget, deponitor. *ib.* c. 41. et Dist. 35. c. 1.

Clericus si usuras facit, vel desinito, vel deponitor. *ib.* c. 43.

Clericus si eum qui a peccato revertitur, non recipit, sed rejicit, deponitor. *ibid.* 51.

Siquis Clericus in Caupona cibum capere deprehensus fuerit, a communione excluditor (excepto itinere.) *ib.* c. 53.

Siquis clericus oblatione facta non communicaverit, causam dicito, et si bona ratione subnixa sit, veniam promeretor, si minus dixerit, a communione excluditor. *ib.* c. 8.

Siquis Clericus Episcopum contumelia affecerit, deponitur. *ibid.* c. 53.

Siquis item contumelia affecerit Presbyterum, vel Diaconum, a communione segregator. *ibid.* c. 55. 83.

Clericus qui negligentius circa populum agit, neque in pietate eos erudit, a communione segregetur. Can. 57.

Siquis Clericus impiorum libros tamquam sacros ad populi corruptionem publicaverit in Ecclesia, deponitor. *ib.* c. 59. Dist. 37. can. 1. et 7.

De fornicatione, aut adulterio, aut quacunque alia actione prohibita accusatus in Clerum non perducatur. c. 60.

Clericus S. quadragesimam, aut quartam feriam, aut parascevem si non jejunaverit, deponitor, praeter imbecillitatem corporis. c. 68.

Si quis Clericus, aut laicus ceram, aut oleum ex Ecclesia subripiat, a communione sejungitor. c. 71.

Oculo defactus, aut obtuso crure, si secus dignus est, Episcopus esse potest. C. 76.

Non fiat Episcopus, qui ex gentili advenit. c. 79.

Diaconus vel Presbyter lavet vela sanctuarii, et velamina Dominicae mensae intra sanctuarium. Dist. 1. can. 40. de consecr.

Nullus Presbyter ad solennia Missarum celebranda praesumat cum baculo introire, aut velato capite. *ibid.* c. 56.

Nullus Presbyterorum in anniversariis defunctorum inebrietur, nec plausus, ac risus inconditos, et fabulas inanes referat; non turpes jocos ante se fieri patiatur. Dist. 5. can. 35. de cons.

Non licet Ministris altaris absque jussione Episcopi peregrinari. *ibid.* c. 36.

Non oportet Clericos spectaculis aliquibus, quae aut in nuptiis, aut scenis exhibentur, interesse. *ibid.* c. 37.

Clerici non spectaculis, non pompis intersint, convivia publica fugiant, non petulanti, fluidoque gestu. incedant, Viduarum, et Virginum frequentationem fugiant, contubernia foeminarum non appetant, Dist. 23. can. 3.

Presbyter si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abjici, et ad poenitentiam inter laicos redigi eum oportet. Dist 28. can. 9.

Clericorum vestitus debet esse modestus. Dist. 23. can. 3. Dist. 41. can. 5. et 8. Sept. L. 3. T. 1. c. 1. et 2.

Clericis tabernas intrare prohibetur. Dist. 44. can. 2. et seq.

Sacerdos peccatum reprehendere debet. Dist 45. can. 17. sed mansvetudini attendat. *ib.* can. 14.

Clericus percussor deponatur. Dist. 45. can. 7., item L. 5. T. 25. cap. 1. Percussor vero Cle-

rici, vel Monachi incurrit Excommunicationem majorem. Caus 17. q. 4. can. 23. — 29. et L. 5. T. 39. c. 1. et seq.

Sacerdos peccantem reprehendere debet. Dist. 45. can. 17. sed mansvetudini attendat *ib.* can. 14.

Clericus adulator et proditor ab officio deponatur. Dist. 46. can. 3.

Accusator si non probanda fratribus objicit excommunicetur. *ibid.* c. 4.

Maledicens cogatur ad postulandam veniam, si noluerit, degradetur. Dist. 46. can. 6.

Clericus scurrilis ab Officio deponatur. Dist. 46. can. 6.

Ne sit foenerator, vel usurarius. Dist. 46. can. 9. secus non desistens deponatur. Dist. 47. c. 1.

Si Capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut falsum testimonium dixerit, ab officii honore depositus, in Monasterium detrudatur. Dist. 50. can. 7.

Contumax ab Episcopo corrigatur, aut si quis Ecclesiam frequentare, aut officium suum implere neglexerit, peregrina communio ei tribuatur, et si eum poenitentia correxerit, dignitatem recipiat. Dist. 50. Can. 21.

Fornicator si manifestus sit, non potest honorem Clericalem habere, idest, deponi debet. Dist. 56. c. 33.

Unus Clericus in alterius stipendia non obrepat. Dist. 61. c. 13.

Sine Litteris Episcopi sui non potest Clericus ab aliquo suscipi, neqne retineri. Dist. 71. can. 6. et seq. item Caus. 19. q. 2. can. 2.

Clericus dimissorias ab Episcopo nisi postulans obtinet, ne ovis quasi perdita, aut errans inveniatur. Dist. 72. c. 1.

Presbyter nihil sine praecepto, et consilio Episcopi agat. Dist. 80. c. 5.

Solus ad foeminae tabernaculum non accedat, nec solus Presbyter cum sola foemina fabulas misceat. Dist. 81. c. 20.

Clericus ad vanum rumorem non statim condemnetur, sed veritas prius perquirenda est. Dist. 86. can. 23.

Negotiis secularibus se miscere, in seculari foro Advocatum agere, tanto minus conductiones possessionum (arendas) suscipere Clericus nequit, nisi propter curam pupillorum, ac viduarum, aut si forte Episcopus ecclesiasticarum rerum sollicitudinem eum habere praecipit. Dist. 88. can. 1. et seq., item Caus. 21. q. 3. c. 1. et seq., tum L. 1. T. 37. cap. 1. et seq., ac L. 3. T. 50. c. 2. et 6.

Horas canonicas quotidie absolvat. Dist. 91. can. 2.

Qui non pro emendo aliquid in nundinis, vel in foro deambulat ab Officio degradetur. Dist. 91. c. 4.

Clericus victum et vestitum sibi artificiolo, vel agricultura, absque officii sui detrimento paret Dist 91. c. 3.

Clericus nondum convictus suspendi non debet a communione, nisi ob contumaciam. Caus. 2. q. 1. can. 12.

Presbyter vice Juramenti corporalis per suam consecrationem interrogetur, quia sacerdotes ex levi causa jurare non debent. Caus. 2. q. 4. can. 1.

Si mala fama de Presbytero exierit, et accusatores, ac testes legales defuerint, ne vituperetur ministerium nostrum, sacramento famam suam purget. Caus. 2. q. 4. can. 16. et 6.

Accusatio sacerdotum nisi ab idoneis, et probatissimis viris, qui et suspicionibus, et sceleribus carent, fieri debet, quia a vilibus, et reprobis eos infamari Dominus noluit. Caus. 2. q. 7. can. 15. et 17.

Presbyter ducens uxorem ab ordine deponitur. Dist. 28. c. 9.

Clerici qui comam nutriunt ab Archi Diacono etiamsi inviti detondeantur. Dist. 23. Can. 22. L. 3. T. 1. c. 4. et seq.

Non audiatur Missa Presbyteri concubinam habentis. Dist. 32. c. 5. et 6.

Sacerdotibus non licet canones ignorare. Dist. 20. c. 2. et Dist. 38. c. 4.

Sacerdos in praedicatione discretus sit. Dist. 43. can. 1.

Clericus qui post ordinationem labitur, sacra ministeria tractare non debet. Dist. 50. c. 2. et seq., reparari tamen potest per poenitentiam, et increpationem. *ibid.* Can. 14. usque 28. secus impoenitentibus venia concedi non potest. *ib.* c. 27., sed etiam poenitens ad majora beneficia ascendere non valebit. *ibid.* can. 53.

In crimine, fornicatione, perjurio, homicidio, furto captus Presbyter vel Diaconus deponatur. Dist. 50. can. 29. Dist. 81. can. 12. et seq. Neque audeat Ecclesiam intrare, donec poenituerit. *ibid.* can. 15. — Fornicator praeterea, ut ut deponi jubeatur, tamen si in vitio non perduraverit, sed sua sponte confessus fuerit, decem annis poeniteat. Cujus poenitentiae modus praescribitur. Dist. 82. can. 5. — Oportet namque Ministros Dei continentes esse in omnibus. Dist. 84. can. 3.

Negotiatorem Clericum, et ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi pestem fuge. Dist. 88. can. 9 et seq.

Clerici discordes dejiciantur. Dist. 90. can. 1. usque 12.

Clericus si ab Episcopo monitus, matutinis et vespertinis horis adesse neglexerit, excommunicetur. Dist. 92. can. 9.

A quaestibus negotiationis Clerici sub suspensione abstineant, vel ejiciantur a Clero. Caus. 14. q. 4. c. 1. 8. et seq.

Clerici coram seculari Judice in testimonium non vocentur, si tamen eventu aliquo causae interfuerint, et aliquid viderint, vel audiverint, in providentia proprii Episcopi sit, ut coram competentibus Judicibus, aut aliter honorifice veritatem attolant. Caus. 14. q. 2. can. 2.

Sacerdotis est nulli nocere, prodesse velle omnibus. Caus. 14. q. 5. c. 10.

Clericis sine commendatiis Litteris Epis-

copi sui non pateat licentia evagandi. Caus. 20. q. 4. c. 3.

Corripiantur qui ungventis, et claris vestibus lasciviunt. Caus. 21. q. 4. c. 1.

Clericus inter epulas cantans excommunicatur. Caus. 22. q. 1. cap. 9.

Clerici qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint, amisso ordinis sui gradu, in Monasterium poenitentiae tradantur Caus. 23. q. 8. cap. 6.

Reus est animarum Presbyter, qui poenitentiam morientibus abnegat. Caus. 26. q. 6. can. 12.

Clericus deponatur, qui cum Moniali moechatus est. Caus. 27. q. 1. c. 6.

Clerici cum Judaeis nullum habeant consortium. Caus. 28. q. 1. can. 13. 14.

Clericus si causa fornicationis ad suam poenitentialem accedat, dignitatis gradum amittat. Caus. 30. q. 1. can. 8. et seq.

Sacerdos ante omnia caveat, ne peccata alicujus ex Confessione prodat, quia si hoc fecerit, deponatur, et omnibus vitae suae diebus ignominiosus sit. Dist. 6. can. 2. de *Poenit.*

Clerici qui rapiunt, furantur, aut seducunt puellas, decidant proprio gradu. Caus. 36. q. 2. can. 1.

Clerico (Parocho) senectute gravato coadjutor est dandus. Caus. 7. q. 1. can. 17. et 18.

Clericus peregrinus, qui jurat se ordinatum, nisi aliter probet, in illo Ordine non suscipietur, nec ad superiores promovebitur. L. 1. T. 22. c. 1. et seq.

Prius ordinatus ceteris paribus prior et major habendus est. L. 1. T. 33. c. 1.

Veniens contra decretum, vel constitutionem Episcopi debet excommunicari. *ib.* cap. 2.

Clerici arma portantes, et usurarii excommunicentur. L. 3. T. 1. c. 2.

Presbyter (Parochns) proles cum omni castitate erudiat. *ibid.* c. 3.

Tonsuram Clericus deferat, et si non vult, potest invitus a superiore tonderi. *ibid.* c. 7.

Si Clericus in socium Clericum manus injecit, ab Excommunicatione per Episcopum absolvitur. *Ibid.* c. 9.

Clerici debent continere, et caste vivere, contra facientes punit Episcopus, et deponit, ac in Monasterium detrudit, L. 5. T. 31. cap. 4. et severius puniuntur illi, qui possunt legitimo Matrimonio uti. L. 3. T. 1. c. 13.

Clericus crapulosus monitus non dosistens, ab officio vel beneficio suspenditur. *ibid.* c. 14.

Clerici officia, vel commercia secularia non exerceant minime inhonesta; Mimis, joculatoribus, et histrionibus non intendant. Tabernas prorsus evitent, nisi in itinere; ad aleas et taxillos non ludant, coronam, et tonsuram habeant congruentem. Clausa deferant indumenta nimia brevitate, vel longitudine non notanda. Pannis rubeis, aut viridibus, nec non manicis, aut sotularibus consutitiis, froenis, calcaribus, aut aliam superfluitatem gerentibus non utantur. Fibulas

non ferant, neque annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis. *ibid.* cap. 15.

Clericus qui tertiario monitus negotiationibus secularibus non abstinet, perdit quoad bona privilegium Clericale. *ibid.* c. 16.

Clericus non debet retinere in domo mulierem suspectam de incontinentia, etiamsi sit Mater, vel alia consangvinea. L. 3. T. 2. c. 1. secus a suspectarum mulierum consortio monitus, non abstinens, excommunicatur. L. 3. T. 2. c. 2. et seq. item Conc. Trid. Ses. 24. c. 8.

Siquis Presbyter negligens vitae suae, pravis exemplis prava de se suspicari permiserit, et populus infamiam ejus patefecerit, certique accusatores criminis ejus defuerint, admoneatur primo seorsum ab Episcopo, deinde sub duobus vel tribus testibus, et si non emendaverit, Episcopus eum publica increpatione admoneat, si vero nec sic se correxerit, ab officio suspendatur, usque ad congruam satisfactionem. L. 5. T. 34. c. 2.

Matrimonium contractum per Clericum in sacris Ordinibus existentem non tenet; neque conjugatus promovetur ad beneficium, et Ordinem Ecclesiasticum nisi castitatem promittat. (intellige Ritus Latini, et non Graeci Presbyterum, qui in laico statu acceptam uxorem retinet.) L. 3. T. 3. c. 1. et seq.

Filius Clerici Graeci licite promovetur inter Latinos. *ibid.* c. 6.

Clerici uxorati non admittuntur ad dignitates ecclesiasticas. *ib.* c. 8.

Clericus non residens in sua Ecclesia, si intra sex menses non revertatur; privatur ea. L. 3. T. 4. c. 6. et seq.

Si Episcopus Clericum ordinat, det illi unde vivere possit. L. 3. T. 5. c. 2.

Clericus unus in una, vel diversis Ecclesiis plures dignitates, vel personatus non obtineat. *ib.* c. 13. et 28.

Clericus vivere debet de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputatur. *ib.* c. 16. et 30.

Indignus non assumatur in Clerum. *ib.* c. 29.

Clericus infirmus integre percipit fructus beneficii sui; qui vero lepra affecti sunt, — si absque scandalo populi fieri poterit, — detureis coadjutor; si vero pro abominatione populi sit, debet ab officio removeri, vitae necessaria juxta facultates Ecclesiae percepturus. L. 3. T. 6. c. 1. et seq.

Clericus debitis oneratus non debet excommunicari; praestabit tamen cautionem de solvendo, cum venerit ad pingviorem fortunam. L. 3. T. 23. c. 3.

Nec suo nec alieno nomine Presbyter fraudem facere de facultatibus Ecclesiae debet, quoniam hoc sacrilegium est. L. 3. T. 25. c. 4.

Presbyter mane matutinali officio expleto, pensum servitutis suae, videlicet: primam, tertiam, sextam, nonam, vesperamque persolvat, ita tamen ut horis competentibus juxta possibilitatem compleantur. Deinde peractis horis, et

infirmis visitatis, si voluerit, exeat ad opus rurale jejunus, ut iterum necessitatibus peregrinorum et hospitum, sive diversorum commeantium infirmorum, atque defunctorum succurrere possit. L. 3. T. 41. c. 1. et 9.

Clericis altera die celebraturis noctibus confabulari, sub poena suspensionis prohibetur. *ibid.* c. 9.

Clericus ebriosus Missam celebrans, non praemissa digestione, Ecclesia privari debet. L. 5. T. 1. c. 12.

Sententiam sangvinis Clericus non dictet, neque sangvinis vindictam exerceat, aut dum exercetur, intersit, — neque chirurgiae artem foveat, quae adustionem, vel incisionem inducit. L. 3. T. 50. c. 9.

Non imputatur tamen Clerico civiliter justitiam petenti de laico, si judex in laicum exercet vindictam sangvinis. L. 5. T. 12. c. 21.

Laici nec praedicent, nec sacerdotes reprehendant. *ibid.* T. 7. c. 12.

Clerici falsarii officiis, et beneficiis ecclesiasticis priventur. *Ibid.* T. 20. cap. 7.

Omnibus servis Dei venationes et silvaticas fatigationes cum canibus, et accipitres aut falcones habere interdicitur. L. 5. T. 24. c. 1. et 2.

Clericus qui fuit in conflictu, ubi aliqui sunt occisi sine ejus facto, vel consilio, non punitur. L. 5. T. 25. c. 3. et 4.

Depositus vel interdictus celebrans deponitur. L. 5. T. 27. c. 1. et seq., item T. 31. c. 18.

Ministrans etiam in ordine quem non habet, deponendus est. *ibid.* T. 28. c. 1. et 2.

Suspendi debet Clericus, qui de suo crimine publice gloriatur. L. 5. T. 31. c. 9.

Clericus auctoritatem, vel consilium directe, vel indirecte homicidio praestans irregularis efficitur. *ibid.* cap. 10.

Clericus infamatus juramento se purget, sed interea potest suspendi ab officio; et beneficio. L. 5. T. 34. c. 5. et 10.

In latrociniis, aut aliis magnis sceleribus deprehensus degradari debet ab Ordinibus, et in Monasterio praecludi. L. 5. T. 37. c. 6.

Sacerdos revelans Confessionem deponendus est, et qua ignominiosus in Monasterio ad agendam poenitentiam detrudendus. L. 5. T. 38. c. 12. Canon. Poenit. 31.

Clericum excessuosum Praelatus capi curans per laicos non incurrit excommunicationem, neque capientes, si talis dat fidejussores de parendo juri, detineri non debet, nisi justa causa id svadeat. Sext. L. 5. T. 11. c. 15.

Nemo ad S. Ordines admittatur sine titulo beneficii, pensionis, aut patrimonii. Sept. L. 1. T. 5. c. 1.

Clericus omittens dicere officium susceptos fructus restituere debet. Sept. L. 1. T. 15. c. 1.

Clerici laniones, aut caupones fieri prohibentur. Clem. L. 3. T. 1. c. 1.

Clericus uxoratus, etiam soluto matrimonio, nec in suscepto Ordine ministrare, nec ad supe-

riores Ordines promoveri, nec aliquod beneficium, aut officium Ecclesiasticum tènere potest. Extr. Joan. T. 6. c. un.

Clerici lasciva melodia in officiis utentes per octo dies suspenduntur. Extr. Com. L. 3. T. 1. c. un.

Qui in officiis Divinis discrepat a consvetudine suae Metropolitanae Ecclesiae, sex mensibus privetur communione, si id faciat ex contemptu. Canon. Poenit. 32.

Clericus excessuosus ab Ordinario Loci corrigatur, et puniatur. Conc. Trid. Ses. 6. c. 3. de ref.

Sic decet Clericos in sortem Domini vocatos vitam, moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Conc. Trid. Ses. 22. c. 1. de ref.

Curatores animarum divagantes, amissione fructuum puniuntur. Conc. Trid. Ses. 23. c. 1.

Sacerdos hospitalitatis officium, quantum per proventum licebit, prompte, benigneque exerceat. Conc. Trid. Sess. 25. c. 8.

COEMETERIUM.

Si Ecclesia sangvinis, aut seminis effusione polluatur, etiam coemeterium ei contiguum pollutum esse censetur; unde antequam reconcilia-

tum fuerit, non debet aliquis in eo sepeliri, secus si remotum fuerit ab eadem. Sed non sic in casu conservo sentiendum. Sext. L. 3. T. 21. c. un.

COGNATIO.

Nulli Christiano licet de sua consangvinitate, vel quam cognatus suus habuit, in matrimonium assumere, ita et de consangvinitate uxoris suae. Caus. 27. q. 2. can. 12.

Filio suo filiam, quam de sacro fonte suscepit, nullus tradere audeat. Caus. 30. q. 3. can. 2. et seq.

Nullus duabus commatribus commisceatur. Caus. 30. q. 4. c. 2. et seq.

Uxor simul cum viro filium alicujus in baptismate non suscipiat. *ibid.* c. 6.

Consangvineos extraneorum nullus accuset, sed propingvi ad quorum notitiam pertinet, id est Pater, Mater, frater, soror, patruus, avunculus etc. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus, et veracioribus, quibus eadem propingvitas nota sit, Episcopus canonice perquirat. Caus. 35. q. 6. can. 1.

Quod Parentes, fratres, et Cognati utriusque sexus in testificationem suorum ad matrimonium conjungendum, vel dirrimendum admittantur, tam antiqua consvetudine, quam legibus approbatur, quoniam unusquisque suam genealogiam cum testibus, et chartis, tum etiam ex recitatione majorum scire laborat. *ibid.* c. 2.

Posteaquam tres vel duo ex propingvioribus aut aliis fidedignis testibus hanc propingvitatem jurejurando firmaverint, sine omni mora conjugia dissolvantur. Quodsi propingvi, aut extranei verbis tantum propingvitatem testantur, et juramento probare vel noluerint, vel nequiverint, conjugium nullatenus dissolvatur. *ibid.* can. 3.

Nisi coram Ecclesia consangvinitate probata, uxorem dimittere non licet. *ib.* c. 10.

Dum aliqui propter consangvinitatem separari petunt, duobus, vel tribus testibus bis adjuratis id comprobari debet. L. 2. T. 20. c. 5.

Si inter contrahere cupientes cognationis impedimentum detegatur, tunc sponsi monendi sunt, ut a tali contractu desistant. L 4. T. 1. c. 27.

Cognatio spiritualis juxta Conc. Trid. subsistit tantum inter baptisatum, baptisantem, baptisatique Parentes, et ideo priores Canones sublati sunt. Sept. L. 4. T. 2. c. 3.

Inter Patrem baptisati, et Uxorem levantis prius ab eo cognitam contrahitur compaternitas efficax ad matrimonium dirrimendum. L. 4. T. 11. c. 4.

Inter Patrem baptisati, et levantem contrahitur cognatio spiritualis valida ad impediendum, et dirrimendum matrimonium post contractum. *ib.* c. 6.

Inter baptisatum, et levantem, filios, et uxorem levantis ante carnaliter cognitam, et suscipientem, et Patrem, et Matrem suscepti spiritualis contrahitur cognatio. Sext. L. 4. T. 3. c. 1.

Cognatio spiritualis contrahitur inter baptisatum, baptisantem, levantes, et Parentes baptisati. Conc. Trid. Sess. 24. c. 2.

COHABITATIO.

Siquis Presbyter praesumpserit mulieribus cohabitare, sacerdotii sui honore privetur. Dist. 81. can. 23—29.

Mulieres quae conjunctae cum clericis sunt, ab Episcopo auferantur. *ibid.* can. 30. et seq.

Clericus non debet retinere suspectam mulierem in domo, etiamsi Matrem, vel cognatam, secus si et solus a consortio talium mulierum monitus non abstinet, deponatur. L. 3. T. 2. c. 1. et seq.

Vide: *Concubinatus.*

COLLATIO.

Vide: *Patronatus* et *Electio.*

COMMODATUM.

Commodatarius gratia sui, tenetur etiam de levissima culpa, — non vero de casu; et commodatum ante usum completum non revocatur. L. 3. T. 15. c. un.

CONCUBINATUS.

Concubinarii ter moniti non desistentes excommunicentur; mulieres vero concubinae aeque monitae e Dioecesi (invocato brachio) ejiciantur. Conc. Trid. Ses. 24. c. 8.

Prohibetur clericis concubinas, aut mulieres, de quibus suspicio haberi potest in domo, vel extra retinere sub poenis canonicis. — Quodsi qui tamen moniti non resipiscerent, post primam monitionom tertia parte fructuum, proventuum, et obventionum ipso facto sint privati. Si vero nec secundae monitioni paruerint, non tantum fructus omnes, et proventus ipso facto amittant. sed etiam a beneficiorum administratione suspendantur; et si ita suspensi eas tamen non pellant, aut cum iisdem personis versentur, tunc beneficiis ecclesiasticis perpetuo priventur. Nulla appellatione admissa. Conc. Trid. Sess. 25. c. 24.

Vide : *Adulterium.*

CONFESSIO.

Qui Presbyter revelat Confessionem, de jure antiquo debet deponi, et omnibus diebus vitae suae ignominiosus peregrinari. Can. Poenit. 31.

Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, quae ei confitentur peccata alicui recitet. Nam si hoc fecerit, deponatur, omnibusque vitae suae diebus ignominiosus pergat. Dist. 6. can. 2. de Poenit.

Nulli Sacerdoti liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad poenitentiam suscipere sine ejus consensu, cui prius se commisit. *ibid.* c. 3.

Ad revelandum peccatorem, sive peccatum in poenitentia confessum sacerdos compelli non potest. L. 5. T. 31. c. 13.

Omnis et singulus adminus semel in anno confessionem facere obligatur. Conc. Trid. Sess. 13. can. 11. et ejusdem Conc. Sess. 14. cap. 5.

CONJURATIO.

Conjurantes, et conspirantes Clerici contra Episcopum, proprio amisso gradu, retrudantur in carcerem, laici vero excommunicentur. Caus. 11. q. 1. can. 21. et seq.

CONFIRMATIO.

Presbyteri infantes in fronte chrismate non ungant, hoc enim Episcopi faciunt. Dist. 4. can. 119. et 120. — Innocent. Papa Anno 416. *item* Gregor. Anno 593.

Confirmationis Sacramentum post baptisma statim conferatur. Dist. 5. c. 1. sed tantum ab Episcopis sacramentum hoc perfici potest. *ibid.* can. 4.

Jejuni ad Confirmationis sacramentum veniant, perfectae aetatis, et prius Confessionem peragentes, ut mundi donum Spiritus sancti accipere valeant. Dist. 5. can. 6. de cons.

Confirmatio reiterari non potest. *ibid.* can. 9.

Qui potest obviare, et perturbare perversos, et non facit, nihil aliud est, quam favere eorum impietati. Caus. 23. q. 3. can. 8.

Qui desinit obviare cum potest, consentit. *ib.* c. 11.

Delinquentes corrigantur a sacerdotibus, incorrigibiles excommunicentur. Caus. 24. q. 3. c. 14.

Corripiantur a Praepositis suis subditi fratres correptionibus de charitate venientibus pro culparum diversitate diversis vel minoribus, vel amplioribus. *ibid.* c. 17.

Tolerandi sunt quidem mali pro pace, nec corporaliter ab eis recedatur, sed spiritualiter exigere, est facere quod pertinet ad correctionem malorum. Caus. 23. q. 4. can. 1.

In corrigendis excessibus Clericorum appellationis diffugium est interclusum. L. 1. T. 31. c. 12. et 13. item Conc. Trid. Sess. 21.

CONSENSUS.

Facientem et consentientem par poena constringit. Caus. 2. q. 1. c. 10. L. 1. T. 29. c. 1.

Non solum qui faciunt rei judicantur, sed etiam qui consentiunt facientibus. Par enim poena et facientes, et consentientes manet. Caus. 17. q. 4. c. 5.

Qui desinit obviare, consentit. Caus. 23. q. 3. can. 11.

Matrimonium non facit coitus, sed voluntas, (consensus) qui si defuerit, matrimonium non est. Caus. 27. q. 2. c. 1. et 2.

Ubi non est consensus utriusque, non est conjugium. Caus. 30. q. 2. can. un.

Juramento Patris non cogitur puella nubere, cui nunquam assensum adhibuit. Caus. 31. q. 2. can. 1.

Quorum unum est futurum corpus, unus debet esse et animus, atque ideo nulla est invita copulanda alicui. *ibid.* c. 3.

Viduae, et Virgines propria voluntate sibi maritos eligant, non cogantur. Caus. 33. q. 2. c. 16.

CONSISTORIUM.

Vide *Judicium et Sedes sacra.*

CONSVETUDO.

Legem et rationem non potest usus, et consvetudo vincere. Dist. 11. can. 4.

Consvetudines quae Ecclesiis gravamen inducere dignoscuntur, nostra nos decet consideratione remittere. L. 1. T. 4. c. 1.

Non valet consvetudo, per quam interdicti sententia violatur. *ibid.* c. 5.

Non derogat juri naturali, nec positivo, nisi sit rationabilis, et praescripta consvetudo. *ibid.* c. 11.

Praetextu consvetudinis non potest quis plures personatus, aut dignitates, vel alia perpetua officia simul cum Canonia tenere. *ibid.* c. 12.

Non valet consvetudo, quod ab officiali Episcopi, ad Episcopum appelletur. *ibid.*

CONTRACTUS.

Vide *Pactum.*

CONTUMACIA.

Contumaces Clerici ab Episcopo corrigantur, et si Ecclesiam frequentare, et officium implere noluerint, peregrina communio eis tribuatur. Dist. 50. can. 21.

Clericus nondum convictus suspendi a communione non debet, nisi ad causam suam examinandam se non praesentaverit. Caus. 2. q. 1. can. 12.

Ex contumacia absens judicari permittitur. Caus. 3. q. 8. c. 1.

Quicunque clericorum ab Episcopo suo ante Sententiae tempus pro dubia suspicione discesserit, manifesta eum manet censura. Caus. 8. q. 4. c. 1.

Canonibus praecipientibus evocari tertia vocatione inobedientem contumacem invenimus. Caus. 24. q. 3. can. 6.

Qui per contumaciam communione privatur, cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat. L. 1. T. 2. c. 11.

Ex contumacia condemnatus si infirmum se fuisse probet, absolvitur; non enim potest quis cogi, ut Advocatum pro se constituat. L. 1. T. 38. c. 2.

Si reus recedit a judicio, dimisso Procuratore solummodo ad agendum, contumax est, et condemnatur in expensis. *ibid.* c. 12.

Contumax in non comparendo, vel non respondendo excommunicari potest, beneficio autem privari non debet. L. 2. T. 1. c. 1.

5*

Propter contumaciam (lite non contestata) super principali negotio definitiva Sententia non est proferenda. L. 2. T. 6. c. 2., in Causa tamen liberali testes recipiuntur etiam contra contumacem. L. 2. T. 20. c. 34.

Si reus intra annum judicio standi se adstringit, non mulctatur de aequitate canonica; Judex tamen poterit rem petitam sequestrare, et ipsum contumacem in expensis condemnare, quin imo actore, vel reo contumace, testes recipi, et sententia ferri debet. L. 2. T. 14. c. 1. et seq.

Si passus missionem, repetens possessionem allegat se contumacem non fuisse, restituitur in pristinum statum, praestita cautione, et dilata condemnatione expensarum, quam evitat, si postea constiterit eum non fuisse contumacem. L. 2. T. 15. c. 3.

Si in Causa Matrimonii reus contumaciter absens sit, possunt super impedimento Matrimonii recipi testes, dummodo sint legitimi, et ad dicta eorum fertur Sententia. L. 4. T. 18. c. 1.

Actor contumax condemnatur in expensis, nec citatur ulterius ad suam petitionem reus, nisi caveat de veniendo, et comparendo. Sext. L. 2. T. 6. c. 1.

Si reus jussus positionibus respondere recusat, vel si contumaciter recedit, habebuntur pro confessatis, secus, si prius quam sic jussus esset, contumax faerat; nam tunc procedetur contra eum tamquam contra contumacem. Sext. L. 2. T. 9. c. 2.

CONVIVIA.

Convivia, spectacula, et pompae clericis prohibentur. Dist. 44. c. 9. et 10. et Dist. 23. c. 3.

Convivia quae ex charitate fiunt, laudanda sunt. Dist. 44. can. 6.

COPULA.

Matrimonium non facit coitus (Copula) sed voluntas, quae si defuerit, Matrimonium non est. Caus. 27. q. 2. c. 1. et 2.

Carnalis copula probatur per conveniens testimonium de visu, et auditu, quod adminicula, et fama coadjuvat L. 2. T. 20. c. 27.

CRIMEN.

Si forte mulier marito mortis parasse insidias, vel voluntatem occidendi habuisse inveniatur, vel si maritus eodem modo insectetur uxorem, in eadem questione ab omni familia mariti, et uxoris quaerendum est. Can. 2. Dist. 1. de Poenit.

Non potest quis illam habere in uxorem, cujus maritum occidit machinatione ipsius mulieris, secus, si sine machinatione. L. 3. T. 33. c. 1.

Siquis mortua uxore contrahit cum ea, quam vivente uxore, sine fidei datione cognoverat, tenet matrimonium, dummodo in mortem defunctae neuter fuerit machinatus. L. 4. T. 7. c. 6.

DEBITUM.

Praelatus sui praedecessoris pro Ecclesiae necessitate contracta debita solvere tenetur. L. 3. T. 23. c. 1.

Si Clericus non habeat unde satisfaciat suis creditoribus, non debet excommunicari, nec aliter molestari; praestabit tamen cautionem de solvendo, cum venerit ad pingviorem fortunam. *ibid.* c. 3.

DECANUS.

Decanus nisi Presbyter esse poterit. Dist. 60. c. 1. et seq.

Decanus (nunc Vice Archi Diaconus dictus) quia commune Episcopi, et Archi Diaconi officium exercet, communiter est ab eis eligendus. L. 1. T. 23. c. 7.

Decanus Presbyterorum, et laicorum plebaniae (Districtus sui) curam gerit, contra decretum tamen Episcopi nihil ordinare potest. L. 1. T. 24. c. 4.

Decanus visitans duobus equis sit contentus, neque epulas quaerat, sed cum gratitudine recipiat, quod ei honeste fuerit ministratum. L. 3. T. 39. c. 6.

DECIMA.

Decimae Ecclesiis, et clero pendantur. Caus. 16. q. 1., per integrum, et q. 2. c. 1. et seq. *item* q. 7. c. 1. et seq.

DEGRADATIO.

Degradationis solennitates praescribit Bonifacius VIII. Sext. L. 5. T. 9. c. 2.

Degradationis causae. Vide. *Clericus.*

DEPOSITIO.

Clericum depositum Episcopus non statim tradit Curiae seculari. L. 2. T. 1. c. 4.

Clericus depositus incorrigibilis excommunicandus est, et successive anathematisandus, et si sic non resipuerit, per Judicem secularem comprimendus est. L. 2. T. 1. c. 10.

Depositionis causae. Vide. *Clericus.*

DEPOSITUM.

Ex deposito facto apud clericum Ecclesiae, non tenetur Ecclesia, nisi in utilitatem ejus sit versum. L. 3. T. 16. c. 1.

Depositarius tenetur de culpa; pacto vero culpa, vel mora praecedentibus, casus etiam fortuitus imputatur. *ibid.* c. 2.

DIMISSIO.

Dimissoriales tantum postulanti clerico dari possunt. Dist. 72. c. 1.

DISCORDIA.

Qui pacem cum proximo suo non facere jurat, uno anno poeniteat. Canon. Poenit. 47.

Discordes Clerici dejiciantur, vel revocentur ad concordiam. Dist. 90. c. 1. et seq.

DISPENSATIO.

Non valet Dispensatio obtenta a Papa super matrimonio inter Consangvineos contracto, si ibi causa falsa sit expressa. L. 4. T. 14. c. 6.

In dispensationum, et aliarum gratiarum impetratione, rei gestae veritas retecta, poena falsi damnat impetrantes. Sept. L. 3. T. 13. c. 1. et seq.

Qui spe obtinendae Dispensationis matrimonium contrahunt in gradibus prohibitis, imposterum gratia pontificia non gaudeant, etiamsi ex copula secuta sit proles. Sept. L. 4. T. 1. c. 1. et 3.

Siquis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumsit; separetur, et careat spe dispensationis. Conc. Trid. Ses. 24. c. 5.

DIVORTIUM.

Post professam continentiam quisquis Uxorem duxerit, ab ea separetur. Caus. 27. q. 1. can. 40.

Uxor legitima sine ulla culpa relinquitur, si cum viro christiano permanere noluerit, propter hoc quod christianus est. Caus. 28. q. 1. can. 4. et 8.

Licite dimittitur uxor, quae virum suum cogere quaerit ad malum. *ibid.* c. 5.

Quae simulacrum facit, nec resipiscit, dimittatur a viro suo. *ibid.* c. 6.

Ab infidelibus uxoribus licet recedere, sed non expedit. *ibid.* c. 9.

Non separetur a viro, sed poenitentiam agat, quae filium suum in baptismo, vel confirmatione fraudulenter tenuit. Caus. 30. q. 1. can. 4.

Sicut crudelis est, et iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus est et injustus, qui retinet meretricem; nam patronus est turpitudinis ejus, qui crimen celat uxoris. Caus. 32. q. 1. can. 1.

Si se uxor fornicatione separaverit a marito, non debet retineri, ne virum quoque sub maledicto faciat. Ubicunque est igitur fornicatio, vel fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur, sed vivente hac altera nequaquam ducitur. Caus. 32. q. 1. can. 2.

Nihil iniquius est, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari. Caus. 32. T. 6. cap. 1.

Non licet viro uxorem dimittere, nisi causa fornicationis. *ibid.* q. 5. c. 19. et 20. (intellige tamen tantum ad thorum) qui autem dimittit uxorem, excepta causa fornicationis, communione privetur. *Ibid.* Can. 21. et 22. Qui tamen solus fornicatur, uxorem suam, causa fornicationis dimittere non potest. Caus. 32. q. 6. c. 1.

Vinculum conjugii fornicatione non potest dissolvi. Caus. 32. q. 7. can. 1. dissolvitur tamen ad thorum, seu nulla pars alia inire poterit connubia. *ibid.* C. 3. et caus. 33. q. 2. can. 2. quia pars talis alia expetens connubia moechatur, et adultera est. *ibid.* c. 5. et seq.

Siquis viduam in uxorem duxerit, et postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus, aut siqua cum duobus fratribus, seu cum Patre, et filio, siquis relictam fratris, siquis neptem, aut novercam, aut nurum, aut consobrinam, aut filiam avunculi, aut ejus relictam, aut propingvam polluerit, eos disjungi et alterius nunquam in conjugio copulari praecipimus. Caus. 32. q. 7. can. 20. et seq.

Siquis cum Matre fornicatus fuerit anathemate percutitur, similiter et ille, qui cum ea, quam in S. fonte baptismatis, vel Confirmationis suscepit; legitimam tamen non dimittat uxorem. Caus. 33. q. 2. can. 17.

Sterilitas uteri non est causa divortii. Caus. 32. q. 7. can. 27. — 28.

Non licet alicui uxorem dimittere, nisi causa dissidii primum Ecclesiae probetur. Caus. 33. q. 2. can. 1.

Uxor quae in calore irae maritum deseruit, si reversa est, divortiasse non videtur. Can. 21. Dist. 1. de Poenit.

Quodsi mulier dimissa poenitentiam egerit, et voluerit ad virum suum reverti, si non reccperit eam vir suus, peccat, sed debet recipere peccatricem, quae poenitentiam egit. Caus. 34. q. 2. c. 7.

Solvantur matrimonia, si cognatio carnalis inter conjuges inventa probata fuerit. Caus. 35. q. 6. can. 3. Affines in quarta generatione si fuerint inventi, non separantur. *ibid.* q. 3. can. 3.

E capite adulterii agitur, ut mulier ab ejus cohabitatione discedat. L. 1. T. 38. c. 5.

Si testes ante contestatam litem, vel post appellatam adhibiti fuerint, tales attestationes irritae sunt, et separata etiamsi uxore ad maritum compellenda, Causa fine canonico terminetur. L. 2. T. 6. c. 4.

Si vir mulierem odio persequitur capitali, nisi caveat de ipsius impunitate, ante decisionem Causae, mulier resignanda est loco tuto. L. 2. T. 13. c. 8.

Mulieri virum sibi restitui petenti vir restitui debet. *ibid.* c. 10.

Si tanta sit viri saevitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, attunc a viro amoveri debet, praemissa provisione sufficienti. *ibid.* c. 13.

Non creditur marito asserenti etiam cum juramento, uxorem se cognovisse, si uxor per matronas attestantes contrarium probat. L. 2. T. 19. c. 4.

Testimonium Matris est suspectum, ubi filia petit in virum se majorem; et ad dictum solius Matris de impedimento deponentis impeditur Matrimonium, sed contractum non solvitur. L. 2. T. 20. c. 22.

Ad probanda impedimenta electi laici, et foeminae admittuntur; Testes de auditu, et fama non probant. L. 2. T. 20. c. 33.

Ex violenta et certa suspicione fornicationis potest sententia Divortii promulgari. L.2. T.23. c.12.

Sententia lata contra matrimonium nunquam transit in rem judicatam, unde quandocunque revocatur, cum constat de errore. L. 2. T. 27. c. 7.

Sententia lata contra absentem non contumacem in Causa Matrimoniali non valet. *ib.* c. 10.

Ante Matrimonium consummatum potest alter conjugum etiam altero invito religionem ingredi, sed remanens in seculo potest ad secunda vota transire. L. 3. T. 32. c. 2. post consummatum vero matrimonium non potest, nisi altero consentiente *ib.* c. 4. et seq.

Si mulier invita cum aliquo contrahat, nec in eum postea consentiat, separatur ab eo, et nubit alteri. L. 4. T. 1. c. 13. huic tamen mulieri non creditur, marito contrarium probante; secus, si probat se consensisse per metum, qui potest cadere in constantem virum. *ib.* c. 28.

Diaconus, vel subdiaconus si matrimonium contrahat, separatur. *ib.* T. 6. c. 1. et seq.

Votum solenne impedit, et dirrimit matrimonium post contractum; ast votum simplex tantum impedit contrahendum. *ib.* can. 3. 6. et 7.

Separatur matrimonium, quando liber ignoranter cum ancilla contraxit, nisi postea hoc sciens illam cognovit. *ib.* T. 9. c. 2 et 4.

Non separatur matrimonium ad confessionem cunjugum affinitatem processisse asserentium, etiamsi rumor viciniae consentiat. *ib.* T. 13. c. 5.

Separatur matrimonium contractum inter affines primi generis, et quarti gradus. L. 4. T. 14. c. 1.

Separantur quoque impotentes, seu frigidi. L. 4. 15. can. 5. et 7.

Separantur usque cognitionem causae, qui pro consangvinitate prohibentur conjungi, et postea contra interdictum Ecclesiae se receperint. *ib.* T. 16. c. 1.

Mulier propter furtum, vel aliud crimen viri sui, (nisi fidei suae religionem corrumpere velit) ab eo separari non debet. Verum si conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, a viro poterit separari, sed tantum ad thorum. L. 4. T. 19. c. 2.

Separatur Matrimonium propter adulterium mulieris. *ibid.* c. 5. et propter haeresim, sed tantum ad thorum. *ib.* c. 6. sed si unus infidelium conjugum convertatur ad fidem, et alter nolit sibi cohabitare, vel non sine blasphoemia, vel sine peccato mortali, solvitur conjugium, et conversus contrahere poterit. *ibid.* c. 7.

Non licet relictam fratris in uxorem accipere, et de facto ducta separanda est, nisi aliter Ecclesia dispenset. *ibid.* c. 9.

Mulieres, cum pro aliqua licita causa a propriis viris fuerint separatae, celebrato solenniter Divortio, dos uxori restitui; ea autem, quae olim communiter habuerunt, inter partes dividi debent. L. 4. T. 20. c. 1. et seq. Si vero mulier ob causam fornicationis judicio Ecclesiae aut propria voluntate a viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, dotem, vel dotalitium repetere non valebit. *ib.* c. 4.

Si nuptiae propter impedimentum solvantur, dos data restitui debet. *ibid.* c. 5.

DOS.

Mulier agit pro dote contra quemlibet detinentem bona mariti. L. 3. T. 21. c. 5.

Vide : *Divortium.*

DUELLUM.

Clericus iniens Duellum, sive obtulerit, sive susceperit, deponendus est. L. 5. T. 14. c. 1. et 2.

Duella, et purgationes vulgares prohibita sunt. L. 5. T. 35. c. 1.

Duellantes, et permittentes excommunicantur, et carent sepultura ecclesiastica. Sept. L. 5. T. 17. c. 1.

EBRIETAS.

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui vel aleae, vel ebrietatibus indulget, vel desinito, vel deponitor. Can. Apost. 41. et Dist. 35. can. 1.

Subdiaconus, aut Lector ebrietati indulgens, vel desinito, vel a communione sejungitor. Can. Apost. 42.

Alienum est a sapiente potationibus et ebrietatibus vacare. Dist. 35. can. 3.

Venter mero aestuans cito despumat in libidinem, ubi ebrietas, ibi libido dominatur, et furor. Dist. 35. can. 5. et seq.

Clericis tabernas, popinas ingredi prohibetur. Dist. 35. c. 1.

Vaniam habent, quae ignorantes ebrii commitunt. Caus. 15. q. 1. c. 7.

Culpandus est Loth non quantum incestus, sed quantum meretur ebrietas. *ibid.* can. 10.

Clericus ebriosus, monitus non desistens ab officio suspenditur. L. 3. T. 1. c. 14.

ECCLESIA.

Omnium rerum ecclesiasticarum curam Episcopus gerat, et eas dispenset. Can. Apost. 37. et 40.

Ecclesiarum consecratio non alibi quam in sacratis Domino locis fieri debet. Dist. 1. can. 1. de consecr. et consecratio semper cum celebratione Divinae Liturgiae est instituenda. *ibid.* c. 3.

Sine auctoritate Pontificis (Episcopi) nova non dedicetur Ecclesia. *ibid.* c. 5. et 9.

Dedicationes Ecclesiarum per singulos annos solenniter sunt celebrandae. — — Si de Ecclesiae consecratione dubitetur, neque certum testimonium eatenus existat, absque omni dubitatione pro consecratis habendae sunt. Dist. 1. can. 16.

Si homicidio, aut adulterio violata fuerit Ecclesia, denuo consecretur. *ibid.* c. 19.

Ecclesiae tamen semel consecratae non debent iterum consecrari, nisi ab igne exustae, aut sangvinis effusione, aut cujuscunque semine pollutae fuerint. *ib.* c. 20. et Dist. 68. c. 3.

Ligna Ecclesiae dedicata non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igne sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus, in laicorum usus vero non debent admitti. Dist. 1. c. 38. ita altaris palla, cathedra, candelabrum, et velum, si vetusta fuerint, comburantur, cineres vero in baptisterium inferantur. *ibid.* c. 39.

Pallas, et vela sanctuarii, si sordida fuerint, Diaconi lavent intra Sanctuarium, velamina etiam Dominicae mensae abluant, ne forte pulvis Dominici corporis male decidat. Dist. 1. can. 40.

Vasa sacra Ecclesiae non ab aliis, quam a sacratis, Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Dist. 1. can. 41.

Vestimenta ecclesiastica, quibus Domino ministratur, et sacrata esse debent, et honesta, quibus in aliis usibus non debent frui, quam in ecclesiasticis officiis. *ibid.* c. 42.

Ecclesia (Parochia) ultra tres menses vacare non potest. Dist. 63. c. 35.

Ecclesia tueatur, quos in sui defensionem suscepit. Dist. 87. c. 5.

De rebus ecclesiasticis disponendi laicis nulla facultas relinquitur. Dist. 96. c. 1.

Ecclesia non prius dedicetur, nisi antea dotem per donationem chartulae confirmatam accipiat. Caus. 1. q. 2. can. 1.

Qui sumptibus ptopriis sustentari possunt, ab Ecclesia stipendia non accipiunt. Caus. 1. q. 2. c. 6. et seq.

Ab administratione removeantur, qui res Ecclesiae male vivendo dispergunt. Caus. 3. q. 2. can. 9.

Ecclesiae cum omnibus dotibus suis, et omnia jura earum ad Ordinationem Episcopi pertinent. Cau. 10. q. 1. c. 3. 5. et seq. item caus. 10. q. 2. can. 7. item caus. 12. q. 1. can. 22. et seq. sed res Ecclesiae Episcopo alienare non licet. *ibid.* q. 2. can. 1. et seq.

Nulla aedificia in atrio Ecclesiae ponantur, nisi tantum Clericorum. Caus. 12. q. 1. c. 4.

Clerici rem Ecclesiae teneant, sicut Episcopi permiserint, vendere autem, vel donare penitus non praesumant. Caus. 12. q. 2 can. 13. et seq. 32. ac 35. et seq.

Omnis Clericus secundum jussionem Episcopi res Ecclesiae dispensare studeat. *ibid.* can. 32.

Siquis de Clericis documenta, quibus Ecclesiae possessio firmatur, aut supprimere, aut negare, aut adversariis tradere praesumserit, quidquid per absentiam documentorum damni Ecclesiae illatum est, de propriis facultatibus reddat. Caus. 12. q. 2. can. 33. et 40.

Nequis Episcoporum de rebus Ecclesiae suae quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, nisi forte aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, et cum totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiae. *ibid.* can. 52.

Terrulas, aut vineolas exiguas, et Ecclesiae minus utiles, aut longe positas, et parvas Epi-

scopus sine consilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi potestatem habet. *ibid.* can. 53.

Siquis qualibet conditione de rebus Ecclesiae aliquid alienare praesumserit, si de rebus propriis tantum Ecclesiae contulerit, quantum visus est abstulisse, tum demum illud stare licebit. *ibid.* can. 56

Quodsi aliquid pro utilitatibus Ecclesiae expendit, totum ei a rebus ejusdem Ecclesiae re formabitur, pro cujus utilitate id expendisse probatur. Caus. 12 q. 4. c. 2.

Antiquiores Ecclesiae, nec decimis, nec nulla possessione priventur ita, ut novis Oratoriis tribuantur. Caus. 16. q. 1. c. 43. et 44.

Possessiones Ecclesiae derelictas nulli sit alienandi licentia. *ibid.* can. 61.

Episcopus qui in alterius Dioecesi Ecclesias aedificat, ejus consecrationem sibi vendicare non valet. *ibid.* q. 5. c. 1. et seq.

Delictum personae in damnum Ecclesiae non est convertendum. Caus. 16. q. 6. c. 34.

Laici non habent facultatem de rebus Ecclesiae disponendi. Caus. 16. q. 7. can. 23. et seq.

Sacrilegii judicantur, qui Ecclesiae facultates alienant. Caus. 17. q. 4. c. 1. et seq.

Non debet Ecclesia suscipere, quae exhaeredítato filio ei offeruntur. *ibid.* c. 43.

Ecclesiarum privilegia cunctis temporibus intemerata serventur. Caus. 25. q. 2. can. 1. et seq.

Plerique clerici cum vel domos locant, vel feuda concedunt, in praejudicium parochialium

Ecclesiarum pactum adjiciunt, ut conductores, et fendatarii decimas eis solvant, (vel alia beneficia eis praestent) hujusmodi pactum penitus reprobatur, statuiturque, ut quidquid fuerit occasione hujusmodi pacti perceptum, Ecclesiae parochiali redatur. L. 1. T. 35. c. 8.

Absque auctoritate Episcopi non potest Ecclesia constitui censualis. L. 1. T. 36. c. 5. et seq

Episcopo Ecclesiae conditionem facere deteriorem non licet, et Ecelesia jure minoris debet semper illaesa servari. Providendum tamen est, ne si forte coloni possesiones illas expensis, ac labore suo reddiderint meliores, sumptibns, quos bona fide fecerunt, debeant defraudari. L. 1. T. 41. c. 1.

Restituitur Ecclesia in integrum laesa propter negligentiam Procuratoris, qui jura Ecclesiae non produxit. L. 1. T. 41. c. 2.

Res Ecclesiae alienare quidem non licet; possessiones tamen minus utiles pro utilioribus, Episopus de consensu Capituli potest permutare, vel alienare. L. 3. T. 13. c. 1. et seq.

Ecclesiae jure proprietatis possunt ad invicem permutari, et possessiones earum etiam permutari possunt, et pro minus valentibus pretium supleri. L. 3. T. 19. c. 6.

Qui fecit Ecclesiam consecrari, tenetur eam dotare. L. 3. T. 40. c. 8.

Si Ecclesia non consecrata, cujuscunque semine fuerit, aut sangvinis effusione polluta, at-

que protinus exorcisata lavetur, ne divinae laudis organa suspendantur. *idib.* c. 10.

Regimen Ecclesiae sub annuo censu committi non debet. L. 5. T. 4. c. 3. et 4.

Ecclesiae violator caret sepultura ecclesiastica. L. 5. T. 17. c. 2.

Alienatio facta de rebus Ecclesiae vacantis, non praecedente tractatu, et sine justa causa non valet. Sext. L. 3. T. 9. c. 1.

Si Ecclesiam pollui sangvinis, aut seminis humani effusione contingat, ipsius coemeterium si contiguum est eidem, etiam censetur esse pollutum; secus, si remotum fuerit; sed vice versa non sic. Sext. L. 3. T. 21. cap. unic.

Bonorum Ecclesiasticorum alienatio non tenet, et alienantes, et recipientes sunt excommunicandi. Sept. L. 1. T. 7. c. 1 et 4 item Extr. com. L. 3. T. 4. c. unic.

Episcopi Ecclesias visitent singulis annis, reparatione indigas reparari curent, et de cura animarum provideant. Conc. Trid. Sess. 7. c. 8. de ref.

ELECTIO.

Electus debet per superiorem confirmari, et ante confirmationem beneficia conferre, vel aliter administrare non potest. L. 1. T. 6. c. 2. et 9.

Electus (vel praesentatus) ante confirmationem non debet per se, vel per alium administrare, qui contra fecerint, ipso jure privati sunt jure ex electione quaesito. Sext. L. 1. T. 6. c. 5.

EPISCOPUS.

Episcopus si infirmitate non fuerit impeditus, die Dominico Ecclesiae deesse non debet. Dist. 3. c. 9.

Episcopus a venatione, et mulierum consortio abstineat. Dist. 34. c. 1.

Ebrietati indulgens damnetur. Dis. 35. c. 1.

Episcopus vilem supellectilem, et mensam, ac victum pauperem habeat. Dis. 41. c. 7. sed sit tamen hospitalis, et pauperibus succurrat. Dist. 82. c. 1. Dist 85. c. 1. Dist. 86. c. 7. et 19.

Episcopus verberare manibus suis non potest aliquem. Dist. 86. c. 25., quia percutiens fideles delinquentes, aut infideles inique agentes ex officio dejici jubetur. Dist. 45. c. 7.

Episcopi se Pastores, et non percussores esse meminerint, atque ita subditis praeesse eos oportet, ut non in eis dominentur, sed illos tamquam filios, et fratres diligant, hortando, et monendo deterreant ab illicitis; — peccantes tamen cum lenitate, et mansvetudine puniant; — neque in causis visitationis, et correctionis appellatio locum habeat. Conc. Trid. Ses. 13. c. 1. de ref.

Cum Presbyteros quasi filios, et fratres, benigna, ac fraterna debeatis charitate fovere; mandamus, quatenus nec aliquem censura afficere sine ordine judiciario praesumatis. L. 5. T. 31. c. 1.

Episcopi ita debent corrigere clericorum excessus, ut metu poenae ipsi arceantur, et alii pertimescant. Clem. L. 1. T. 9. c. 1.

Excessus secularium clericorum, et regularium degentium extra Monasteria Episcopus Loci corrigat, et excedentes puniat. Conc. Trid. Ses. 9. c. 3. Attamen ad vanum rumorem non statim condemnabit, sed in veritatem perquiret. Dist. 86. c. 23.

Episcopus falsans chartam, aut falsum testimonium dicens, ab officii honore depositus, in Monasterium detrudatur. Dis. 50. c. 7.

Episcopus ante trigesimum aetatis annum fieri nequit. Dist. 51. c. 5. sed etiam Subdiaconus, et Monachus in Episcopum eligi poterit. L. 1. T. 14. c. 9. et. Clem. L. 1. T. 3. c. 1.

Episcopus non ordinetur extra conscientiam Metropolitae. Dist. 64. c. 5. 8. et 65. c. 3.

Episcopus subjecto sibi sacerdoti, vel clerico, nisi ab ipso postulatus, dimissoriales non faciat, ne ovis quasi perdita, aut errans inveniatur. Dist. 72. c. 1.

Episcopus si fornicationi Presbyterorum consenserit, ab officio suspendatur. Dist. 83. can. 1.

Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni et Orationi, verbi Dei praedicationi tantummodo vacet. Dist. 88. c. 6.

Episcopi lectioni, et Orationi vacent, et semper secum Presbyteros, aut alios boni testimonii clericos habeant, ut irreprehensibiles possint inveniri. Caus. 2. q. 7. can. 60.

Praecipuum munus Episcoporum est praedicatio Evangelii, et dum soli impediuntur, tenentur assumere viros ad id idoneos; siquis au-

tem hoc adimplere contemserit, districtae subjaceat ultioni. Conc. Trid. Ses. 5. c. 2. et Ses. 24. c. 4.

Episcopus Viduarum, et pupilorum Gubernationem, ac peregrinorum curam non per se ipsum, sed per Archi Presbyterum, aut per Diaconum agat. Dist. 88. c. 7.

Episcopus honoret clericum, et sedens stare Presbyterum non patiatur. Dist. 95. c. 7. et 9.

Episcopus non proferat, quod probare non potest, secus probet in synodo. Caus. 6. q. 2. c. 1. et seq.

Episcopus non accedat Ecclesias, quae sunt extra ejus Dioecesim. — Hoc intelligendum est de Presbytero extra suam Parochiam. Caus. 9. q. 2. can. 1. et seq.

Episcopi in aliena Dioecesi nec Pontificalia exerceant, nec Ordines conferant. Conc. Trid. Ses. 6. c. 5.

Episcopi de rebus propriis; vel aquisitis haeredibus suis relinquere possunt; quidquid vero de provisione suae Ecclesiae fuerit, sive de agris, sive de fructibus etc. Omnia Ecclesiae reservanda sunt. Caus. 12. q. 1. can. 19. et seq.

Episcopus nihil e Dioecesi sua praesumat auferre, et a clericis quidpiam exigere. Caus. 16. q. 1. c. 60. et 62.

Episcopo incurabiliter aegroto Coadjutor dandus est. L. 3. T. 6. c. 5.

Potest Episcopus senio, vel infirmitate perpetua impeditus, de consensu Capituli sui, unum, vel duos Coadjutores assummere; et si demens

fuerit (intelige, si ob senectutem facultatibus mentalibus gravatus) Capitulum, aut duae partes hoc faciant. Sext. L. 3. T. 5. c. un.

Sede Episcopali vacante, status ejus mutari non debet. L. 3. T. 9. c. 1.

Episcopus sine consensu capituli nihil potest alienare, L. 3. T. 10. c. 1. et seq. item L. 3. T. 24. c. 2.

Valet consvetudo prescripta, quod Episcopus in inquirendo, puniendo, et corigendo subditorum excessus, sui Capituli consilium requirere non teneatur. Sext. L. 1. T. 4. c. 3.

Si Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quae uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere. L. 3. T. 19. c. 5.

Contra Praelatum denunciatum de dilapidatione fit commissio, super veritate inquirenda, et pendente negotio debet interdici potestas alienandi (seu poni sequestrum) L. 5. T. 1. c. 27.

Praelati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedere ne praesumant. L. 5. T. 4.

Cognoscere de causa matrimoniali, item poenitentias publicas, et indulgentias concedere spectat ad dignitatem Episcopi. L. 5. T. 31. c. 12.

Episcopi itinerantes possunt habere Altare viaticum, et in eo celebrare, ac facere celebrari ubicunque absque interdicti transgressione. Sext. L. 5. T. 7. c. 12.

Clericos confessos de criminibus convictos in perpetuum, vel ad tempus poterit carceri mancipare ad poenitentiam agendum. Sext. L.5. T.9. c.3.

Praelatus capi faciens, vel includens etiam per laicos Clericum nondum incorrigibilem excommunicatus non est, neque capientes. — Si talis dat fidejussores de parendo juri, detineri non debet, nisi justa causa id svadeat. Sext. L. 5. T. 11. c. 15.

Praelati debent esse soliciti, ut horis debitis in cathedralibus, regularibus, et collegiatis Ecclesiis horae canonicae devote psallantur, et ut in Ecclesiis aliis celebretur convenienter, et debite diurnum officium. Clem. L. 3. T. 14. c. 1.

Episcopi in sua cathedra residere tenentur, secus absque causa sex mensibus absentes quarta parte fructuum frustrantur. Conc. Trid. Ses. 6. c. 1.

Ordinarii curent, ut hospitalia quaecunque a suis administratoribus fideliter gubernentur. Conc. Trid. Ses. 7. c. 15.

EUCHARISTIA.

Eucharistia a sacerdotibus in loco singulari, mundo, et signato semper honorifice colocata devote ac fideliter conservetur. L. 3. T. 41. c. 10.

Eucharistia ad infirmos mundo velamine feratur, et referatur, manifeste, ac honorifice per Sacerdotem ante pectus cum omni reverentia, et timore, semper lumine praecedente, cum sit candor lucis aeternae, et ex hoc apud omnes fides, et devotio augeatur. — Praelati transgressores graviter puniant. *ibid.*

Eucharistia et Chrisma sub fideli custodia clavibus adhibitis conservetur, Vasa item sacra,

et supellex munde et nitipe asservetur. L. 3. T. 44. c. 1. et 2.

Siquis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema sit. Conc. Trid. Sess. 13. can. 7.

Vide: *Missa.*

EVANGELIUM.

Sub lectione Evangelii Sacerdotes, et ceteri omnes non sedentes, sed incurvate stantes verba Dominica audiant. Dist. 1. can. 68.

EXCEPTIO.

Si excipitur in causa principali, tunc prius de ipsa exceptione est cognoscendum L. 2. T. 10. c. 1. et seq.

Post terminum a Judice propositum excipere nefas est, nisi juramento firmaverit excipiens se postmodum ad illius notitiam pervenisse. L. 2. T. 25. c. 4.

Non tantum ante, sed et post sententiam objici potest exceptio falsitatis; cum falsorum instrumentorum praetextu lata sententia usque ad viginti quatuor annorum spatium valeat retractari, veritate comperta. *ibid.* c. 6.

Exceptio rei judicatae per ecclesiasticum judicem admitti debet in foro seculari, et e converso. Sext. L. 2. T. 12. c. 2.

EXCOMMUNICATIO.

A suo Episcopo excommunicatus non est ab alio recipiendus. Caus. 11. q. 3. can. 2. et seq. item can. 73.

Excommunicationis sententia afficitur, qui cum excommunicatis communicat. Caus 11. q. 3. can. 3. et seq.

Excommunicatus alium excommunicare non potest. Caus. 23. q. 1. c. 4.

Nemo Episcopus excommunicet alium, antequam causa probetur, propter quam Ecclesiastici Canones hoc fieri jubent. *ibid.* q. 3. c. 6.

Mali ab Ecclesia sunt eliminandi. *ib.* c. 14. et seq.

Excommunicetur, qui pauperem, vel Clericum, aut Monachum, vel Ecclesiam exspoliavit. *ibid.* c. 21. et seq.

Percussores, et occisores Clericorum incurrunt excommunicationem majorem. L. 5. T. 39. c. 1. et seq.

EXECUTIO.

Cum judici non agnitio, sed executio tantum demandatur, etsi sciat Sententiam illam injustam, exequi nihilominus tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat. L. 1. T. 29. c. 28.

Per Episcopum in cujus Dioecesi deliquit sacerdos Sententia promulgari poterit in eundem; sed ab eo in cujus Dioecesi beneficium obtinet,

erit quoad illud executio facienda. L. 2. T. 2. c. 13. et 14.

Si occasione executionis in sententia fraus observatur, executor non cognoscet de toto negotio, sed deferet quaestiones. L. 2. T. 27. c. 5.

EXEMPTI ORDINIS.

Per Rescriptum, quo mandat Papa Ordinario, ut corrigat Clericos Dioecesis suae, non datur ei jurisdictio super exemptos. L. 1. T. 31. cap. 19.

FALSI CRIMEN.

Falsificator Clericus, qui chartam falsavit, aut falsum testimonium dedit, ab officii honore depositus in Monasterium detrudatur. Dist. 50. c. 7. L. 5. T. 20. c. 7.

Personae qualitatem, et conditionem mentientes rei, quam hoc tramite assecuti sunt, fructu careant. Sept. L. 5. T. 9. c. 1.

Falsificantes monetam Regis incurrunt excommunicationem majorem. Extr. Joan. T.10. c. un.

FAMOSUS LIBELLUS.

Vide : *Calumnia.* Pasquilus.

FASSIO.

Nemini, (praeter de crimine laesae Majestatis) de se confesso credi potest super crimen alienum. Caus. 15. q. 3. can. 5.

Confessio non sit extorta, sed spontanea, omnis enim confessio, quae fit ex necessitate, fides non est. Caus. 15. q. 6. c. 1.

Ad solum dictum confitentis crimen proprium, non est infligenda alteri poena aliqua; infammato tamen est indicenda purgatio. L. 2. T. 18. c. 1.

Siquis confitetur crimen in judicio incidenter, potest judex novum inchoando processum, illum punire poena ordinaria. *ibid.* c. 2.

Confessio facta in jure per Oeconomum Ecclesiae nocet ipsi Ecclesiae, potest tamen revocari, si ante finitum negotium doceatur per errorem facti emanasse. *ibid.* c. 3.

FERIA VEL FESTUM.

Festis diebus judicia non celebrentur, nisi gratia vindemiae, vel messis, si partes consenserint. L. 2. T. 9. c. 1. et seq.

Die Dominico nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum. Nulla operatio in illa die sancta agatur, nisi tantum hymnis, et psalmis, et canticis spiritualibus dies illa transigatur. Dist. 3. can. 16.

FEUDUM.

Feudum alienatum Episcopus licenter alteri concedit, per quem ipsa Ecclesia valeat rehabere. L. 3. T. 20. c. 2.

FILII PRESBYTERORUM. (GRAECORUM).

Non potest filius Sacerdotis Ecclesiae paternae praeesse immediate. L. 1. T. 17. c. 4. et 11.

item L. 1. T. 6. cap. 1. potest tamen mediate, seu si ab obitu Patris aliqua persona in hoc beneficio intercessit. *ibid.* c. 7. vel vero in tali Ecclesia succedere non impeditur, ubi Pater ejus sine titulo ministravit. *ibid.* c. 8. Si vero Episcopus filio Sacerdotis scienter contulit paternam Ecclesiam, exinde eum removere non potest. *ibid.* c. 5. et 9. Dispensatione tamen Papali opus est. *ib.* cap. 17. quia ex quo filius sacerdotis est ordinatus, non debet carere beneficio. *ib.* cap. 6.

Filius Episcopi legitime natus promoveri potest ad Ordines, et in paterna Ecclesia beneficiari. L. 1. T. 17. c. 12.

FILII ILLEGITIMI.

Illegitime genitus etiam ab uxore, sine dispensatione ad Ordines, et beneficia promoveri non potest. L. 1. T. 17. c. 14. et 15.

Illegitimus absque dispensatione Papae ad dignitatem, vel personatum, vel beneficium curatum promoveri non potest. *ib.* c. 18.

FORNICATIO.

Vide : *Adulterium.*

FORUM COMPETENS.

De Presbyteris non est laicis judicandum. Dist. 28. c. 17.

De Presbyteris vobis, qui laici estis, nec judicandum est, nec de eorum vita quidpiam investigandum, sed Episcoporum judicio, quid-

quid est, per omnia reservandum. Dist. 28. can. 17. et L. 2. T. 1. c. 17. item L. 2. T. 2. c. 1. et seq. tum L. 2. T. 1. c. 1. et seq.

Sententia non a suo judice dicta nihil firmitatis obtinet. Caus. 2. q. 1. c. 7.

Ubi crimen committitur, ibi causa ventilletur, accusatusque tantum in foro suo audiatur. Caus. 3. q. 6. c. 1. et seq.

Non oportet accusatum alibi, quam in foro suo audiri. *ib.* c. 2.

Alterius Parochianum alicui judicare non licet; Episcopus tamen instante necessitate, et pro communi utilitate etiam alienum Parochianum excommunicare potest. Caus. 6. q. 3. can. 1. et seq. item Caus. 9. q. 2. can. 1. et seq.

Nullus alterius judicis nisi sui sententia tenebitur, aut damnabitur. Caus. 9. q. 2. can. 1.

Apud secularem judicem nullus clericus conveniatur. Caus. 11. q. 1. c. 1. et seq. item Conc. Rom. sub Sylvestro Papa. Conc. Chalced. can. 9. Synod. Cabilon. can. 11.

Nullus Clericus alium Clericum ad Judicem secularem accusare, aut ad causam dicendam trahere praesumat, sed omne negotium Clericorum aut in Episcopi sui; aut in Presbyterorum cum Archi Diaconi praesentia finiatur. *ib.* c. 6. secus ad Civilem Judicem Clericum perducens Clericus anathema sit. *Ib.* can. 10. et seq. item Caus. 22. q. 5. can. 1. et seq.

De secularibus negotiis Episcopus cognoscere non debet. Caus. 11. q. 1. can. 29, et seq.

Clerici coram seculari judice convicti, vel confessi de crimine non sunt propter hoc a suo Episcopo aliquatenus condemnandi. Sicut enim sententia a non suo Judice lata non tenet, ita etiam facta confessio coram ipso. L. 2. T. 1. c. 4.

Clericus de omni crimine debet coram ecclesiastico Judice conveniri, nec valet consvetudo contraria. *ib.* c. 8.

Actor Forum rei sequitur. L. 2. T. 2. c. 5.

Causae Clericorum secundum Jus Canonicum sunt terminandae. L. 2. T. 2. c. 9.

Laicus laicum super re civili coram Judice ecclesiastico convenire non potest, nisi in defectu justitiae secularis, vel si consvetudo exposcat; Clericus vero non potest sibi constituere judicem laicum. *ibid.* c. 10. et seq.

Ne Clerici Clericos relicto suo Pontifice ad judicia publica pertrahant; — alioquin causam perdant, et locum suum amittant. *ib.* c. 12.

Archi Episcopus omisso appellationis Articulo, per viam querelae, de causa subditorum, suffraganeis etiam ipsis consentientibus, non cognoscit. Sext. L. 2. T. 2. c. 1.

Judex secularis, qui vult Clericum compellere ad debita etiam liquida solvenda, per ecclesiasticum Judicem desistere compellatur. *ibid.* c. 2.

Causae civiles exemptorum Clericorum secularium, et regularium extra Monasteria degentium ab Episcopis cognoscuntur. Conc. Trid. Ses. 7. c. 14.

Si mulier probaverit, quod a viro suo nunquam cognita fuerit, neque coire cum eo possit, separetur. Caus. 27. q. 2. can. 29.

Si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum reddere viro — — ille qui se non poterit continere nubat magis, non tamen subsidii opem subtrahat ab illa. Caus. 32. q. 7. can. 18. si tamen matrimonium sani contracxerunt, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt. *ibid.* can. 25.

Licet mulieri alteri nubere, quam ab frigiditatem vir cognoscere non poterit. Caus. 33. q. 1. can. 1.

De his, qui ob causam frigidae naturae dicunt se non posse invicem commisceri; Iste si non potest ea uti pro uxore, habeat eam, (si velit) quasi sororem. *ibid.* c. 2.

In veritate viri consistat, si mulier negat se cognitam ab eo *ibid.* c. 3.

Si per sortiarias, atque maleficas concubitus non sequitur, quodsi sanari non potuerint, separari valebunt, sed postquam alias nuptias expetierint, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, prioribus reconciliari nequibunt. *ibid.* can. 4.

Ceterum vide: *Impotentia.*

FURTUM.

Fures sunt infames. Caus. 6. q. 1. c. 17.

Furtum committens Clericus deponatur. Dist. 81. c. 12. item Canon. Apost. 24.

Fures, latrones, si in furando occidantur, visum est pro eis non orandum. Caus. 13. q. 2. c. 1.

Si eos, quorum fuit res ablata, vel inventa, non habuerit, reddat Ecclesiae, vel pauperibus. Caus. 14. q. 5. can. 4.

Rapinam emere non licet, nisi cum intentione restituendi. *ibid.* c. 5.

Furibus, et latronibus in peccato obeuntibus Sacramenta Eucharistiae deneganda sunt. — Secus si poenituerunt. L. 5. T. 18. c. 2.

Committens furtum ex necessitate, peccat, sed non graviter. *ibid.* cap. 5.

Non indicans furem reus est peccati. *ib.* c. 4.

Fur ocultus potest post restitutionem, et poenitentiam ad Sacros Ordines promoveri. *ibid.* c. 5.

HAEREDITAS.

Apostolica auctoritate prohibetur, nequis Ecclesias, et Praebendas, Praeposituras, capelanias, aut aliqua ecclesiastica officia haereditario jure valeat vendicare, — secus postulatis carebit. Caus. 8. q. 1. can. 7.

Qui non sunt ex legitimo matrimonio Matrem potius, quam Patrem sequuntur. Caus. 32. q. 4. c. 15.

Vide: *Testamentum.*

HAERESIS.

Siquis haereticae communionis contágione se macularit, hoc in magno habeat beneficio, si a-

dempta sibi omni spe promotionis, in quo invenitur Ordine permaneat. Caus. 1. q. 1. can. 42.

Siquis in necessitate a schismatico acceperit poenitentiam, et statim mortuus fuerit, pro Catholico deputatur. Can. 24. q. 1. c. 40.

Qui inviti ad haereticos transeunt, si non communicantes cum iis, statim redeant, excusari possunt; si vero tardius redeant, rei sunt. Caus. 1. q. 1. can. 111.

Clericus adversariorum pravitati conveniens, abjiciatur. Caus. 24. q. 3. c. 34.

Ideo Divina Providentia multos diversi erroris haereticos esse permittit, ut cum insultant nobis, et interrogant nos ea, quae nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, et Divinas Scripturas nosse cupiamus. Caus. 24. q. 3. can. 40.

Clericus in haeresim lapsus degradetur, et curiae seculari tradatur. L. 5. T. 7. cap. 9.

Propter crimen haeresis Clericum in quibuscunque sacris Ordinibus constitutum, solus ejus Episcopus degradare poterit. Sext. L. 5. T. 2. c. 1.

Excommunicati participes, et socii criminis admittuntur in testes contra haereticos. *ibid.* c. 5.

Non confiscantur dotes uxorum innocentium propter haeresim maritorum. *ib.* c. 14.

HOMICIDIUM.

Post perpetratum homicidium sacerdotale officium ministrari non potest. Dist. 50. can. 4. et seq.

In homicidio captus clericus deponatur Dist. 81. c. 12.

Homicidae sunt infames. Cau. 6. q. 1. c. 17.

Qui clericum, aut Monachum occiderit, in Monasterio Deo serviat, nunquam ad seculum reversurus. Caus. 17. q. 4. c. 27. et seq.

Homicidae a comunione ecclesiastica submoveantur. Caus. 24. q. 3. c. 20.

Conjugia penitus interdicantur his, qui suas conjuges occidunt. Caus. 33. q. 2. c. 5.

Non licet alicui uxorem ob adulterium occidere. *ibid.* c. 6.

Mulier occidens filium, propter hoc a viro separari non debet. L. 5. T. 10. c. 2.

Dans causam homicidio irregularis efficitur. L. 5. T. 12. c. 10. et 11.

Homicidium casuale imputatur ei, qui non adhibuit diligentiam, quam debuit. *ibid.* c. 7.

Qui dat causam abortui, homicida est. *ibid.* c. 20.

Mandanti aliquem verberari secuta mors imputatur. Sext. L. 5. T. 4. c. 3. et talis excommunicatur, ac Sacerdos deponitur *ibid.* c. 1.

Homicidae perpetuo infames sunt, nec salvo conducto gaudent, nec appellatione L. 5. T. 8. c. 1. et seq.

Furiosus, infans, vel dormiens si hominem mutilat, vel occidit, nullam ex hoc irregularitatem incurrit; nec is, qui aliter mortem vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem. Clem. L. 5. T. 4. c. unic.

Vide: ***Percussor.***

HONESTAS.

Siquis desponsaverit sibi aliquam, et praeveniente mortis articulo, eam cognoscere non potuerit, frater ejus non potest eam ducere in uxorem. Caus. 27. q. 2. c. 11. et 14.

Justitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia valida non erunt, non obtinet; in validis vero sponsalibus etiam primum gradum non excedit. Conc. Trid. Ses. 24. c. 3.

HOSPITALE.

Ordinarii curent, ut hospitalia quecunquae a suis administratoribus fideliter gubernentur. Conc. Trid. Ses. 7. c. 15.

IGNORANTIA.

Nullius crimen maculat nescientem. Caus. 1. q. 2. c. 1. et caus. 23. q. 4. can. 37. ac Cau. 1. q. 4. c. 2.

Ignorantia canonum tunc excusat, si non habuit, a quo disceret. Dist. 37. can. 16.

Illiterati, et corpore vitiati ne promoveantur ad Clerum. Dist. 36. c. 1. et seq. Dist. 38. c. 1. et seq. Dist. 59. c. 1. et seq.

Nulli Sacerdotum licet Canones ignorare. Dist. 38. Can. 4.

Defectus Scientiae dejicit jam promotum. L. 1. T. 14. c. 15.

IMPEDIMENTUM.

Vide: *Divortium*.

IMPOTENTIA.

Si marito provocante ad divortium, et se impotentem asserente, mulier hoc idem fatetur; servata solennitate canonica, matrimonium dirrimitur; sed si decipiatur Ecclesia, matrimonium reparatur. L. 4. T. 15. c. 1.

Impotentes matrimonium contrahere nequeunt. *ibid.* c. 2. et 3. quia contrahens cum impotente scienter, ab ea non separatur. *ibid.* c. 4.

Propter arctationem mulieris, si habilis reddi non potest, separatur motrimonium; redintegratur tamen, si postea appareat Ecclesiam fuisse deceptam. *ibid.* c. 6.

Ceterum de impotentibus sequens regula solet in praxi observari, videlicet: A tempore celebrati conjugii, si impotentia prius probari non potest, cohabitent per triennium, quo elapso, si nec tunc, (adhibitis etiam medicamentis) cohabitare valuerint, et mulier per justum judicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non possit, accipiat alium. L. 4. T. 15. c. 5. et 7.

Ceterum vide: *Frigidi.*

INCENDIUM.

Siquis malo studio, sive pro odio, sive pro vindicta ignem apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium, vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur. Caus. 23. q. 8. can. 32.

INCESTUS.

Incestuosi sunt infames. Caus. 6. q. 1. c. 17.

Qui ignoranter incestum commisit; non prohibetur uxorem ducere. Caus. 35. q. 3. c. 5.

Incestuosi usque ad satisfactionem excommunicentur. *ibid.* c. 9.

Non appellantur filii, qui ex incestu generantur. Caus. 35. q. 7. c. unic.

Si sponsam cognovit antequam Matrem, vel post, nunquam eam potest accipere in uxorem. L. 4. T. 13. c. 2.

INCONTINENTIA.

Vide: *Adulterium.*

INFAMIA.

Infames sunt, qui christianae Legis normam abjiciunt, et statuta Ecclesiae contemnunt; — Fures, sacrilegi, capitalibus criminibus irretiti, sepulchrorum violatores, qui adversus Patres armantur; — incaestuosi, homicidae, perjuri, raptores, malifici, venefici, adulteri, de bellis publicis fugientes, qui facultates Ecclesiae injuste abstrahunt, et qui fratres calumniantur, aut accusant, et non probant; et hi nec ad sacros Ordines provehi, nec summos Sacerdotes accusare possunt. Caus. 6. q. 1. can. 17.

Infammato est indicenda purgatio. L. 2. T. 18. c. 1.

Si contra infammatum ligitimus non apparuerit accusator, purgatio canonica indicenda erit,

in qua si defecerit, imponendum est ei silentium, si vero purgatio successerit, accusatores in expensis condemnandi erunt. L. 5. T. 1. c. 23.

INFIRMITAS.

Infirmitatis causa nemo est loco suo privandus. Caus. 7. q. 1. c. 1. et seq.

Morbo epileptico laborans Presbyter, si frequenter patitur, non celebret; resanatus vero celebret. Caus. 7. q. 2. c. 1. et 2.

Clericus infirmus integre percipit fructus beneficii sui; datur vero ei coadjutor. L. 3. T. 6. c. 1. et seq.

INJURIA.

Injuriam inferens obligatur ad restitutionem. L. 5. T. 36. c. 1. et seq.

Si percusserit alter alterum, et si percussus jacuerit in lecto, percutiens operas ejus, et impensas in medicos restituet. *ibid.*

INSTITUTIO.

Institutio, vel ut dicitur Investitio beneficiorum spectat ad Episcopos, vel eorum Officiales. L. 3. T. 7. c. 3.

Institutio nisi ad vacans beneficium fieri poterit. L. 3. T. 8. c. 2.

Ceterum vide: *Investitura.*

INSTRUMENTUM.

Scriptura non authentica non probat, ita et testium defunctorum Instrumenta, nisi per notarium confecta. L. 2. T. 22. c. 1. et 2.

Instrumentum publica manu non confectum, habens rasuras, vel sigillum vitiatum non probat. *ibid.* c. 6. defectus tamen literae Rescriptum non vitiat. *ibid.* c. 11.

Scripturae contrariae ab eodem productae fidem non faciunt. *ibid.* c. 13.

Instrumentum explanatum (copia) per tabellionem auctoritate Ordinarii, eandem vim habet cum originali. *ibid.* c. 16.

Vide etiam: *Probatio.*

INTENTIO.

Non sunt consideranda verba, sed Intentio, quia non debet Intentio verbis deservire, sed verba Intentioni. Caus. 22. q. 5. c. 11.

INTERDICTUM.

Quod contra Interdictum, et ordinem Ecclesiae factum est, tamquam inordinatum ratum non haberi tam Divinae, quam humanae Legis proclamat auctoritas. Caus. 35. q. 6. c. 2.

Sententia Interdicti non suspenditur per appellationem sequentem. L. 2. T. 28. c. 37.

Canonicus non interdicit Ecclesiam, sed hoc facere debet Episcopus cum Capitulo. L. 3. T. 11. c. 2.

Matrimonium contra Interdictum Ecclesiae, vel Judicis initum propter hoc solum non dirrimitur, separantur tamen partes usque cognitionem causae. L. 4. T. 16. c. 1. et 3.

INQUISITIO.

Judex mittere debet examinatorem discretum ad testes recipiendos, qui ad eum commode venire non possunt. L. 2. T. 20. c. 8.

Testes sunt adjurandi, non jurato non creditur. *ibid.* c. 51.

Diligenter, et singillatim examinandi sunt Testes, et qui obscure deponit, iterum examinandus est. L. 2. T. 20. c. 52. et 53.

Generales inquisitores si non servaverunt debitum Inquisitionis ordinem prudenter, et caute se corrigere debent. L. 5. T. 1. c. 17.

Vide etiam: *Judicum.*

INVESTITURA.

Capitulum Sede vacante, licet beneficia ad collationem Episcopi spectantia conferre non possit, tamen ad illa praesentatos instituere potest. Sext. L. 3. T. 6. c. 1. item T. 8. c. un.

A quocunque praesentati non instituantur sine praevio examine Ordinarii, et approbatione. Conc. Trid. Ses. 7. c. 13.

Vide hanc in rem: *Institutio* et *Praesenta.*

IRA.

Quidquid in calore iracundiae vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quamsi perseverantia apparuerit judicium animi fuisse. Ideo per calorem amisso repudio, si brevi reversa est uxor, nec divortiasse videtur. Dist. 1. Can. 21. de Poen.

JEJUNIUM.

Siquis Clericus Sacram Quadragesimam Paschae, aut quartam feriam, aut Parascevem non jejunaverit, deponitor; praeterquam si imbecillitate impediatur corporis. Can. Apost. 68.

Sacramenta Altaris nonnisi a jejunis celebrentur. — Nullatenus vero jejunare credendi sunt, si ante manducaverint (in Quadragesima) quam vespertinum celebretur officium. Dist. 1. c. 49. et 50. de Cons.

Feria quarta, et sexta jejunandum est. Can. 11. Dist. 3. et 16. de consecr.

Sabbatho jejunare debemus ob reverentiam sepulturae Dominicae. Innocentius Papa anno 416. Can. 13. Dist. 3. de consecr.

Tempore jejuniorum a conjugali concubitu abstinendum est. Caus. 33. q. 4. c. 1. et seq.

Non oportet in Quadragesima nuptias, vel quaelibet natalitia celebrare. Caus. 33. q. 4. c. 8. et seq.

Non oportet a septuagesima usque in Octavas Paschae, et ab adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare. *ibid.* c. 10.

JUDAEUS.

Sacrilegium faciunt, qui Judaeis publica officia committunt. Caus. 17. q. 4. c. 31.

Judaei ad fidem venientes cum Hebraeis aliis nullam habeant communionem, ne subvertantur; ergo baptisati christianis donentur. Caus. 28. q. 1. c. 12.

Clerico cum Judaeis nec manducandum, nec habitandum, nec ab eis medicamentum accipiendum. *ibid.* c. 13.

Si Christiani cum Judaeis carnali consortio misceantur, a communione Ecclesiae segregentur. *ibid.* c. 17.

Judaei servos vel nutrices Christianos ne habeant. L. 5. T. 6. c. 1. et seq.

Judaei medici ad Christianorum morbos curandos non admittantur. Sept. L. 3. T. 6. c. 2.

JUDEX.

Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, et proposito domesticae voluntatis, sed juxta Leges, et Jura pronunciat. Qui judicat, non voluntati suae obtemperare debet, sed tenere, quod Legum est. Caus. 3. q. 7. c. 4.

Lege Julia rependere tenetur, qui aliquam potestatem haberet, pecuniam ob judicandum, vel non judicandum, decernendumve acceperit. Caus. 1. q. 1. c. 129.

Nihil contra quemlibet accusatum absque legitimo, et idoneo accusatore fiat. Caus. 1. q. 1. c. 1.

Excommunicetur, qui Judicibus suis obtemperare non vult. Caus. 2. q. 6. c. 19.

Quoties a populis, vel turba peccatur; quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solet transire. Caus. 1. q. 7. c. 14.

Judex non ante sententiam proferat capitalem, quam ut reus confiteatur, aut per innocentes testes convincatur. Caus. 2. q. 1. c. 2. et 5.

Sicut sine judicio quemquam nolumus condemnari, ita quae juste definita fuerunt, nulla patimur executione differri. Caus. 2. q. 1. c. 3.

Primum semper ante omnia inquirite, ut cum veritate, et justitia definiatis, nullum suspicionis arbitrio judicetis. Caus. 2. q. 1. c. 12.

Corripienda sunt coram omnibus, quae peccantur coram omnibus; ipsa vero corripienda sunt secretius, quae peccantur secretius; — Ubi contigit malum, ibi moriatur malum, *ibid.* c. 19.

Ne praecipites in discutiendis, et judicandis, negotiis essemus, et ne mala quorumque prius quisquam praesumat credere, quam probare; nam mala audita nullum moveant, nec passim dicta absque certa probatione quisquam unquam credat, sed ante audita diligenter inquirat, ne praecipitando quidpiam aliquis agat. *ibid.* c. 20.

Facti quidem quaestio est in arbitrio judicantis, poenae vero persecutio Legis auctoritati reservatur. Caus. 2. q. 3. Can. 8. in Notis.

Qui delatorem corrumpit, pro victo habetur. *ibid.*

In ecclesiasticis negotiis etiam dicta causa recedere licet, si necesse fuerit, aut si se praegravari viderit. Cau. 2. q. 6. c. 18.

Accusatis pro indiciis minimum sex menses conceduntur, ut se, et testes suos praeparare, atque contra insidiatores se pleniter armare valeant. Caus. 3. q. 3. c. 2. et 4.

Indignum est superiores pati ab inferioribus, quae inferiores ab eis pati despiciunt. Caus. 3. q. 5. c. 7.

Qui inimici sunt, judices esse non possunt. *ib.* c. 15.

Suspecti, et inimici judices esse non debent; et ideo qui suspectum sibi judicem putat, ante inchoatam litem liceat eum recusare, et ad alium recurrere. *ibid.* c. 15.

Infames, criminibus gravati Judices esse non possunt. Caus. 3. q. 7. c. 1. et seq.

Quodsi indigna ad accusandum persona invenitur, ad ejus accusationem non judicetur, nisi ubi pro capite Regiae Majestatis Causa versatur. Caus. 3. q. 9. c. 9.

Non oportet quempiam judicari, vel condemnari, priusquam legitimos habeat praesentes accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. *ib.* c. 5.

Non semper ad unam speciem probationis applicet mentem suam, sed ex confessionibus, depositionibus, allegationibus, et aliis, quae in ejus praesentia proponuntur, formet animi sui motum, et tanta sit judicialis authoritas, ut sem-

per pro ipso praesumi debeat, donec contra ipsum aliquid legitime comprobetur. L. 1. T. 9. c. 6.

Dum Judex, seu ejus Officialis familiaris est uni parti litigantium, ab adversa parte potest merito recusari. L. 1. T. 29. c. 25.

Judex debet cognoscere per se ipsum, cum antequam ferat sententiam, universa, quae acta sunt in judicis investigare debeat diligenter. L. 1. T. 29. c. 27.

Judex potest, et debet se interponere pro transactione inter Partes facienda, praeterquam in casibus, in quibus jura hoc non admittunt, uti super Matrimonio. L. 1. T. 36. c. 11.

Judex de qua re cognovit, pronunciare debet. L. 2. T. 12. c. 4.

Judex statuere debet terminum ad omnes dilatorias proponendas, post quem excipientem non audiet. L. 2. T. 25. c. 4.

Judex fraudulenter vadens (ad inquirendum) excommunicatur. Sext. L. 2. T. 1. c. 2.

Judex qui contra justitiam, et contra conscientiam aliquid in judicio fecerit in gravamen partis, per gratiam, vel per sordes, condemnandus est parti laesae in aestimationem litis, et per annum est suspensus. Sext. L. 2. T. 14. c. 1.

Judex qui recusatur, statuit competens tempus arbitris ad definiendam Causam, quo elapso si finita non fuerit, in principali procedit. Sext. L. 2. T. 15. c. 2.

Judex, cui simpliciter et de plano, ac sine strepitu, et figura judicii procedi mandamus, ne-

cessario Libellum non exigat, litis contestationem non postulet, in feriis humanis procedere valeat, et amputet dilationum materiam, litem quanto poterit faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias, et frustratorias repellendo, partium Advocatorum, et Procuratorum contentiones, et jurgia, testiumque superfluam multitudinem refraenando. — Non sic tamen Judex litem abreviet, quin probationes necessariae et defensiones legitimae admittantur; — Citationem vero intelligimus non excludi. — Pro testibus producendis possunt etiam instrumenta produci. Sententiam vero definitivam, (citatis ad id licet non peremptorie partibus,) in scriptis, et prout sibi magis placuerit, stans, vel sedens proferat, etiam conclusione non facta. Si vero in praemissis casibus solemnis ordo judiciarius in toto, vel in parte non contradicentibus Partibus observetur, non erit Processus propter hoc irritus, nec etiam irritandus. Clem. L. 5. T. 11. cap. 2. item Extr. com. L. 2. T. 1. c. un.

Peccatum quod tantum Judici notum est, ab eo damnari non valet. *Rubrica.*

JUDICIUM.

Incerta, et dubia judicari non possunt. Caus. 2. q. 1. c. 12.

Antequam Causa probetur, aliquis excommunicari (condemnari) non debet. *ib.* c. 11.

Ubi crimen admittitur, ibi Causa ventilletur,

et accusatus tantum in foro suo audiatur. Caus. 3. q. 6. c. 1. et seq.

Episcopus accusatus, duodecim Judices, si necesse fuerit, eligat, a queis ejus causa juste judicetur. Caus. 3. q. 8. c. 1. et 2. item Caus. 5. q. 4. c. 2.

Nisi ex contumacia absens fuerit, absens nemo judicetur. Caus. 3. q. 8. c. 1.

Necesse est et accusatum, et accusatorem simul adesse, et unam partem, quantacunque, et qualicunque praedita sit auctoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum praejudicium irrogetur. Caus. 3. q. 9. can. 21.

Non est a communione suspendendus, qui die statu'a ad Causam venire non potuit. Caus. 4. q. 5. c. 1.

In omnibus Causis, (praeter criminales) Episcopi, ac Sacerdotes pro se Advocatum habeant. Caus. 5. q. 3. c. 3.

In consultationibus mitissima verborum relatione utendum est; quicunque tumultu, vel contumeliis, aut risibus Concilium (Consistorium) turbaverit, ejiciendus est foras, et trium dierum excommunicationem ferat. Caus. 5. q. 4. can 3.

Quod bene definitum semel est, et interpositis juramentis deliberatum, nulla debet iteratione retractari, nisi major auctoritas accedat. Caus. 6. q. 4. c. 6.

Deficiente accusatore reus non est cogendus ad probationem; (si tamen reum publica fama non

vexat, tunc enim reus se purgare tenetur) Caus. 6. q. 5. c. 1. et 2.

Factum negantis nulla est proba. *ib*. c. 2.

Non licet vendere Judici justum judicium, etsi licet Advocato vendere justum patrocinium, et jurisconsulto rectum consilium. Caus. 11. q. 3. c. 71. et seq.

Res dubia non definiatur certa sententia. *ibid.* c. 74. et seq.

Quatvor modis pervertitur humanum judicium: timore cupiditate, odio, amore. *ibid.* c. 78.

Culpa non necessitate, sed voluntate reum constringit. Caus. 15. q. 1. c. 5. et seq.

Ecclesiastici die Dominico Causas ventillare non debent. Caus. 15. q. 4. c. 1. et 2.

Excepto die Dominico, aut Festo, ceteris diebus; convenientibus personis, illa, quae justa sunt, habent licentiam judicandi Ecclesiastici, demto criminali. *ibid.* c. 1. et 3.

Non est spoliandus Presbyter, nisi sponte confessus, vel legitime convictus fuerit, Caus. 15. q. 5. c. 2.

Irrita erit sententia Episcopi, nisi praesentia clericorum confirmetur. Caus. 15. q. 7. c. 6.

Causas Clericorum Episcopus nisi cum senioribus Ecclesiae audiat (idest in consistorio) Caus. 15. q. 7. c. 2. et seq.

Rescripta contra jus elicita ab omnibus Judicibus praecipimus refutari, nisi forte aliquid est, quod non laedat alium, et prosit petenti, vel crimen supplicantibus indulgeat; nec damnosa Fisco,

nec juri contraria postulari oportet. Caus. 25. q. 1. c. 16. et *ibid.* q. 2. can. 14.

Quae subreptione, vel falsis precibus impetrantur, nullum supplicantibus ferunt remedium. Caus. 25. q. 2. c. 16.

Iniquum est, ut quisque de aliis judicare velit, et judicari de se nolit. Cau. 32. q. 6. c. 3.

Absque causae cognitione a viro suo dimissa ad omnia restituatur. Caus. 33. q. 2. c. 3. et tantum post restitutionem judicandum est. *ibid.* can. 4.

Nullum ante veram justamque probationem judicare, aut damnare debemus. Et ideo judicantem oportet cuncta rimari, et ordinem rerum plena Inquisitione discutere, interrogandi, respondendi, objiciendique praebita patientia ab eo, ut ibi actio ambarum partium illuminata sit pleniter, nec litigantibus Judex prius velit sua sententia obviare, nisi quando ipsi jam peractis omnibus nihil habeant in quaestione, quod proponant, et tamdiu Actio ventilletur, quousquae ad rei veritatem perveniatur, ne aliud praetermissum forte remaneat, quod annecti conveniat. Caus. 30. q. 5. c. 10. et 11.

Theiberga quaesta est, vi coactum falsum contra se composuisse piaculum. — Unde praecipimus, Causam ejus diligenti examinatione tractetis, et si ea e contra violentiam se pertulisse proclamaverit, vel si inimicos Judices illos sibi fuisse testata fuerit, tunc illud renovetis judicium secundum aequitatis normam. Caus. 31. q. 2. c. 4.

Nisi post restitutionem, neque de conjugii foedere, neque de adulterii crimine inter virum, et uxorem judicium est agitandum. Caus. 33. q. 2. c. 4.

Judicium ecclesiasticum ne exerceatur in tenebris. L. 1. T. 29. c. 24.

Episcopi in suis Dioecesibus liberam potestatem habent in crimina inquirendi, adulteria et scelera ulciscendi, et cum opus fuerit invocandi brachium seculare. L. 1. T. 31. cap. 1.

Si Sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum alicujus criminis, vel si confessus fuerit, non debet eum arguere nominatim, sed indeterminate. L. 1. T. 31. c. 2.

Si Plebanus in Parochianum suum Sententiam rationabiliter tulerit, hanc absque satisfactione, et conscientia ejusdem Plebani Episcopus ne relaxet. *ibid.* c. 3.

In subditos Suffraganei Archi Episcopus (exceptis quibusdam articulis) nullam habet potestatem mediatam. *ibid.* c. 11.

Si reus recedit a judicio, dimisso Procuratore solummodo ad agendum, contumax est, et condemnatur. L. 1. T. 38. c. 12.

Qui sibi potentiarum patrocinium advocare praesumunt, illos Causae jactura afficit. L. 1. T. 42. c. 2.

Judex ex officio providere debet, ut debitae solennitates serventur in judiciis, quibus omissis judicium redditur frustratorium. L. 2. T. 1. c. 9.

Judex habens ut privatus consimilem Causam, quam habet ut judex, a judicando removetur. L. 2. T. 1. c. 18.

Causae clericorum (etiamsi pecuniariae) secundum jus canonicum sunt terminandae. L. 2. T. 2. c. 9.

Sacerdos per Episcopum in cujus Dioecesi privatus (ratione patrimonii) habitat, potest ab eodem Episcopo condemnari, sed executio Sententiae spectabit ad Episcopum proprium, seu in cujus Dioecesi beneficium obtinet. *ibid.* c. 14.

Legitime citatus, si post citationem forum mutaverit, coram judice citante Causam prosequi tenetur. L. 2. T. 2. c. 19.

Si testes adhibiti fuissent lite non contestata, vel post appellationem (in matrimoniali Causa) tales attestationes irritae sunt; et mulier ad virum compellatur, ac nonnisi sic restituta uxore Causa canonice terminetur. L. 2. T. 6. c. 4.

Punitur importunitas plus petentium, si super petitione sua duxerint in judicio persistendum, ita quod qui repetunt amplius sine causa, in expensis adversario condemnantur. L. 2. T. 11. c. unic.

Contra partem non auditam non definiatur. L. 2. T. 12. c. 1.

Judex debet habere Notarium, vel duos viros idoneos, qui scribant acta judicii, alias siquid dificultatis emerserit, per superiorem punietur, nec credetur ei super Processu. L. 2. T. 19. c. 11.

Acta litis ordinatoria facta coram primis judicibus, fidem faciunt coram secundis. *ibid.* c. 15. et *ibid.* T. 20. c. 11.

Jurgantium controversias celeri Sententia terminare, et aequitati convenit, et rigori. L. 2. T. 27. c. 2.

Ecclesiastici Judices gratis judicare debent. L. 3. T. 1. c. 10.

Multa per patientiam tolerantur, quae si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debent tolerari. L. 3. T. 5. c. 18.

Non probato crimine indicitur propter infamiam purgatio. L. 5. T. 1. c. 19.

Secundum personae merita, et qualitatem excessus, poenam poterit judicantis discretio moderari. *ibid.* c. 21.

Juxta sanctiones canonicas siquid de quocunque clerico ad aures Praelati pervenerit, quod eum juste poterit offendere, non facile credere, nec ad vindictam eum res accendere debet incognita; sed coram Ecclesiae senioribus diligenter est veritas perscrutanda, ut si rei poposcerit qualitas, canonica districtio culpam feriat delinquentis, non tamquam sit idem accusator, et judex, sed quasi fama deferente, vel denunciante clamore sui officii debitum exequatur. L. 5. T. 3. c. 31.

Accusatore per collusionem desistente ab accusatione, potest judex ex officio suo inquirere super crimine illato. L. 5. T. 22. c. 1. et seq.

Pueri delinquentes puniuntur, sed Pater pro delicto filii impuberis non tenetur. L. 5. T. 23. c. 1. et 2.

Cum ejusdem Dieocesis fuerint Actor, et reus, extra ipsam Causa non committatur, nec conveniatur aliquis eorundem, nisi actor eandem civitatem, seu Dioecesim intrare non audens, aut sui adversarii potentiam perhorrescens, eum intra ipsas nequeat convenire secure. — Cum autem Actor, aut reus Civitatum, et Dioecesium fuerint diversarum; si actor in civitate vel Dioecesi rei judicem habere recuset, ipsum non in sua, sed in alia civitate, vel Dioecesi libere impetrare valeat, reumque trahere ad eandem. — Insuper ut gratis, et cum omni puritate judicium coram ipso procedat, nullum munus, vel quidquid aliud, nisi forsan esculentum, vel potulentum mera libertate oblatum, quod paucis consumi potest diebus, vel nisi cum ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci; moderatas expensas recipere ab eisdem partibus qualitercunque praesumat. Sext. L. 1. T. 3. c. 11.

Episcopus (si consvetudo praescripsit) in inquirendo, et puniendo, atque corrigendo non tenetur consilium Capituli requirere. Sext L. 1. T. 4. c. 3.

In quolibet loco Dioecesis non exempto per se, et per alium potest Episcopus pro tribunali sedere, et libere exequi, quae ad ipsius spectant officium. Sext. L. 1. T. 16. c. 7.

Mulieres personaliter ad judicium quacunque causa in jure non expressa invitae trahendae non sunt, sed si necessarium sit earum testimo-

nium, judex expensis producentis ibit, vel mittet ad eas. Sext. L. 2. T. 1. c. 2.

Judex qui excommunicat, suspendit, vel interdicit, in scriptis hoc faciat, et Causam conscribat, et requisitus exemplum sententiae tradat intra mensem. Sext. L. 5. T. 11. c. 1.

Confessi crimen, aut probatissimis indiciis carcerati, non relaxentur fisco inscio, etsi praestita fuerit cautio. Sept. L. 2. T. 5. c. 1.

JUDICIUM DELEGATUM.

Quia ex eo, quod Causa sibi committitur, super omnibus, quae ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem (Judicium delegatum) L. 1. T. 29. c. 5.

Ex quo Judex delegatus per se, vel per alium Sententiam executioni mandavit, vel mandari praecepit, ejus auctoritas, et jurisdictio cessat, quia semel est officio suo functus. *ib.* c. 9.

Judex delegatus, seu alia persona in Causa sibi commissa, contumacem aut rebellem potest punire, etiam si non sit de illius jurisdictione. *ib.* c.11.

Judex del. debet rationabiles exceptiones admittere, et in Causa juxta juris aequitatem procedere. *ib.* c. 13.

Delegatio facta dignitati non expresso nomine proprio, transit ad successorem. *ibid.* c. 14.

A Subdelegato Delegati non ad delegantem, sed ad delegatum fit appellatio. *ibid.* c. 18.

Quodsi lis fuerit ante committentis obitum contestata, mandatum morte mandatoris non ex-

spiravit. Si vero ante litis contestationem decessit, non est a judicibus procedendum. *ibid.* c. 19.

Judicibus quibus principale committitur, etiam accessarium committitur. *ibid.* c. 21.

Dum judici executio Sententiae committitur, hanc etsi sciat esse injustam, exequi tenetur. *ib.* c. 28.

Ex nova causa removetur delegatus etiam post litem contestatam, et alius subrogatur. *ib.* c. 25.

Non creditur quis delegatus, nisi Delegatorium probet. *ibid.* c. 31.

Qui acta causae Relationis Judicum delegatorum sigilla violando, aperuit, non audiatur postmodum contra illa. *ibid.* c. 33.

Locus ad quem reus secure accedere non potest, et Canonicus in Causa Canonici delegatus recusari poterit. *ibid.* c. 35.

Judex del. compellit actorem ad respondendum reo in Causa Reconventionis. L. 2. T. 4. c. 1.

Delegato procedente cum duobus subdelegatis non in totum, non ad condelegatos, sed ad Pontificem (Delegantem) appellari debet. Sext. L. 1. T. 14. c. 3.

Cum ipse Delegatus Episcopi recusatur, recusationis causa coram Episcopo est probanda. *ibid.* c. 4.

Executor super gratia facta datus a Papa, mortuo hoc etiam, re integra gratiam exequitur. *ibid.* c. 9.

Judex del. non habens speciale Mandatum, non potest compellere ad personalem comparitionem. Sext. L. 2. T. 1. c. 1.

Ex confessione coram delegato inquirente super certis criminibus deputato facta, punitur confitens, licet dicat se prius diffamatum non fuisse, vel inquisitionis capitula non habuisse. — Valet inquisitio facta super veritate criminum omissa inquisitione infamiae, si reus praesens tacuit. Sext. L. 5. T. 1. c. 1. et 2.

JURAMENTUM.

Presbyter vice juramenti per sacram consecrationem interrogetur, quia Sacerdotes ex levi causa jurare non debent. Caus. 2. q. 4. c. 1.

Si mala fama de Presbytero exierit, et testes legales defuerint, Sacramento famam suam purget. Caus. 2. q. 4. can. 6. et 16.

Si homo antea deprehensus fuerit in furto, aut perjurio, aut falso testimonio, ad jurandum non admittatur. *ibid.* c. 15. et L. 5. T. 34. c. 1.

Parvuli, qui sine rationali aetate sunt, non cogantur jurare. Caus. 22. q. 5. c. 14.

Pueri ante annos 14. non cogantur jurare, et si puella nesciente Patre, se juramento constrinxerit, et Pater ut audierit, statim contradixerit, vota ejus, et juramenta irrita erunt. *ib.* c. 15.

Jurare licet juste, injuste non licet. Caus. 22. *per omnes Canones.*

Res amissae probantur per juramentum. L. 1. T. 40. c. 7.

Clericus in causa Ecclesiae juramentum calumniae potest alteri committere, sed per se jurare non cogitur sine Superioris licentia. L. 2. T. 7. c. 1. Interim tamen indulgetur Clericis, imo et Episcopis (si soli litigent), in Causis suis jurare de calumnia. *ib.* c. 5. et 7.

A juramento per metum extorto Ecclesia dispensat. L. 2. T. 24. c. 15.

Non est tutum quemlibet contra juramentum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae. L. 2. T. 24. c. 3. — 8. et seq. neque valet juramentum praestitum in praejudicium juris superioris. *ib.* c. 19.

Si actor in probis deficiat, reus debet obtinere. — Praesumptione vero faciente pro illo, Judex reo deferre potest juramentum. *ib.* c. 36.

Juramentum litis decisorium a Judice delatum sine justa causa recusari non potest, delatum vero a parte licite recusatur, et refertur; — in actione tamen famosa licet res referre. *ib.*

Infamatus contra quem crimen probari non potest, debet se purgare juramento de veritate, interea vero temporis suspendi potest. L. 5. T. 34. c. 5.—10.

Super notorio crimine non est indicenda purgatio. *ib.* c. 15.

Non est de substantia, quod statim post litem contestatam juretur de calumnia. Sext. L. 2. T. 4. c. 1. et seq.

JUS.

Juri suo cedere quis non debet. Caus. 7. q. 1. c. 8.

Per ecclesiasticum Judicem ordinarium loci compellitur Judex secularis ecclesiastica censura, jus canonicum quod ad provisionem animarum statutum est, servare. Sext. L. 2. T. 11. c. 2.

Jus Canonicum Sacerdoti (Clerico) non licet ignorare. Dist. 38. can. 4.

LEGATUS.

Legati cardinales sine speciali Mandato etiam beneficia conferre possunt, non Cardinales vero nequeunt. L. 1. T. 15. c. 1.

Legatus habet ordinariam, unde per mortem Papae non exspirat ejus officium. *ib.* c. 2.

LEGITIMI FILII.

Naturalis ex soluto, et soluta genitus legitimatur per subsequens parentum conjugium etiam quoad haereditatem. L. 4. T. 17. c. 1. et 6. prout et ille legitimatur, qui canonice separatis a matrimonio Parentibus ante Sententiam conceptus, vel genitus est. *ib.* c. 2. et 8.

Si vero vir vivente uxore ex alia prolem susceperit, licet post mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius, et ab haereditate repellendus. *ib.* c. 6.

Nati e Matrimonio clandestino per Ecclesiam approbato, legitimi sunt. *ib.* c. 9.

Nati e matrimonio contracto contra publicae honestatis justitiam illegitimi sunt, et ab haereditate Parentum excludendi. *ib.* c. 10.

Si conjugatus vivente prima, in facie Ecclesiae contrahit secunda hoc ignorante, legitima erit eorum proles. *ib.* c. 14.

Statur dicto testium, qui probant aliquem legitimum, licet fama viciniae, et tractatus Parentum habeat contrarium. *ibid.* c. 12.

Cum illegitimis dispensat Episcopus in minoribus, in majoribus Papa. Sext. L. 1. T. 11. c. 1.

Ceterum vide: *Filii legitimi.*

LENITAS.

Sine poena irregularitatis possunt Clerici de suis malefactoribus conqueri coram judice seculari etiam de criminibus, ex quibus debetur poena sangvinis, expresse protestando, quod ad poenam sangvinis non intendant. Sext. L. 5. T. 4. c. 2.

Quamvis Clericis Causas Sangvinis agitare non liceat, eas tamen (cum jurisdictionem obtinent temporalem) debent, et possunt, metu irregularitatis cessante aliis delegare. Sext. L. 3. T. 24. c. 3. Vide: *Clericus.*

LEX.

Leges imperatorum custodiri oportet. Dist. 10. c. 9. et 11.

Legis auctoritate dissolvitur, quod contra eam fit. *ibid.*

Leges extenduntur ad negotia futura, et non ad praeterita, nisi id expressum sit. Conc. Trid. Ses. 24. de ref. c. 2.

LIBELLUS.

Vide: *Actio.*

Famosus, Vide: *Calumnia*, et *Pasquillus.*

LIGAMEN.

Proles in impedimento Ligaminis, parte altera bona fide in matrimonium consentiente, concepta est legitima. L. 4. T. 17. c. 2. 8. et 14.

Ceterum vide: *Matrimonium*, et *Divortium.*

LITIS CONTESTATIO.

Per exceptionem peremptoriam non fit litis contestatio. Sext. L. 2. T. 3. c. 2.

Lite non contestata testes recipi non debent, nisi forte de morte eorum timeatur; ideo senes et valetudinarii testes sunt admittendi. — et tunc etiam, si actor intra annum adversarium non convenerit, tunc attestationes praemissae non valent. Ne vero viro, vel mulieri fornicationis occasio praebeatur, et si reus se malitiose occultat, ne possit ad ipsum Citatio pervenire, testes tunc etiam lite non contestata sunt admittendi, et ad definitivam Sententiam procedendum est. L. 2. T. 6. c. 1. et seq.

Non per positiones, et responsiones, sed per petitionem in jure propositam, et responsionem secutam fiat litis contestatio. L. 2. T. 5. cap. un.

LITE PENDENTE.

Lite pendente nihil innovetur. L. 2. T. 16. c. 1. et seq. Sext. L. 2. T. 8. c. 1. Clem. L. 2. T. 5. c. 2.

Ab eo, qui a Sententia appellavit, fructus possessionis, si dissipentur ab eo, possunt etiam lite pendente rationabiliter sequestrari. L. 2. T. 17. c. 3.

MAGIA.

Abjicitur Sacerdos, qui sortilegii, vel magiae maleficio operam dederit. Caus. 26. q. 5. Can. 11. et 13.

MATRICULA.

Habeat Parochus Librum, in quo conjugum et testium nomina, diem, et locum contracti Matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. Conc. Trid. Ses. 24. c. 1.

MATRIMONIUM.

Sponsus, et sponsa cum benedicendi sunt a Sacerdote, — cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant. Dist. 23. Can. 33.

Qui sacro velamine tectam in conjugium ducit, anathema sit. Caus. 27. q. 1. c. 17. et seq.

Sufficit solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur; qui consensus si in nuptiis forte solus defuerit, cetera omnia etiam cum

ipso coitu celebrata frustrantur. Caus. 27. q. 2. c. 2. et Caus. 30. q. 2. can. un.

Matrimonium non facit coitus, sed voluntas, et ideo non solvit illud separatio corporis, sed separatio voluntatis. *ibid.* c. 1. et seq.

Non defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. *ib.* c. 5.

Cognatam ducere non licet. *ibid.* c. 12.

Repudiatam, vel desponsatam ducere non licet. *ibid.* c. 13. et 14.

Non est dubium illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commistio sexus non docetur fuisse. *ib.* c. 16. et 17. *Intellige hic Impotentiam.*

Si vir et uxor pro sola religiosa inter se consenserint divertere vita, nullatenus sine Episcopi conscientia fiat. *ib.* c. 24.

Siquis conjugatus vult fieri Monachus, non est recipiendus, nisi prius a conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus. *ib.* c. 22.

Si abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, et peccatum illius tuae imputabitur abstinentiae. *ib.* c. 24.

Continentiae vota non licet uxori suscipere, nisi eandem vitam vir ejus elegerit. *ib.* c. 26.

Si mulier probaverit, quod a viro suo nunquam cognita fuerit, nec coire cum eo possit, separetur. *ib.* c. 29.

Si aliquis mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere; si tamen aliam duxerit, poenitentiam debet agere de fide mentita, maneat tamen cum illa, quam duxit. *ibid.* can. 51.

Siquis gentilis gentilem uxorem dimiserit ante baptismum, post baptismum in potestate ejus erit eam habere, vel non habere; sed fidelis infidelem discedentem sequi non cogitur. Caus. 28. q. 1. can. 2. et 3.

Judaei Christianas conjuges habentes si et ipsi Christiani esse noluerint, separentur; filii vero ex tali matrimonio nati, fidem Matris sequantur; similiter et hi, qui de infidelibus mulieribus; et fidelibus viris procreati sunt, christianam sequantur Religionem. *ib.* can. 10. Ejusmodi tamen filii, vel filiae, ne Parentum involvantur erroribus, ab eorum consortio separentur, et ad Monasterium, vel ad viros christianos relegentur. *ibid.* can. 11.

Fideles infidelibus non sunt conjugio copulandi, sed nec cum haereticis catholici misceant conjugia. *ibid.* c. 15. 16. — Si vero Christiani cum Judaeis carnali consortio miscentur, a communione Ecclesiae segregentur. *ibid.* c. 17.

Siquis habuerit uxorem virginem ante baptismum, vivente illa post baptismum alteram habere non potest, crimina enim in baptismo solvuntur, non conjugia. Caus. 28. q. 2. c. 1. — Licet tamen fideli aliam ducere uxorem, quam Christianae fidei odio infidelis dimittit. *ibid.* c. 2.

Siquis ingenuus ancillam alterius (non liberam) duxerit, si ignoravit, potest aliam ducere, si autem eam talem scivit, legitimam eam habeat; similiter et mulier servum. Caus. 29. q. 2. c. 4.

Filia spiritualis carnali filio nullo modo nubere potest. Caus. 30. q. 3. c. 2. et seq.

Per adoptionem quaesita fraternitas eousque impedit nuptias, donec manet adoptio. *ibid.* can. 6.

Aliter legitimum non sit Matrimonium nisi suo tempore sacerdotaliter benedicatur. *ib.* q. 5. c. 1.

In contrahendo connubio ista sunt observanda; qualis debeat esse uxor, quae habenda est secundum legem, virgo, casta, et desponsata in virginitate, et dotata, et legitime a Parentibus tradita, a sponso, et a Paranymphis accipienda, et ita secundum legem, et Evangelium publicis nuptiis in conjugium sumenda, et omnibus diebus vitae (nisi ex consensu, et causa vacandi Deo) nunquam propter hominem separanda, et si fornicata fuerit, dimittenda, sed illa vivente altera non ducenda, quia adulteri regnum Dei non possidebunt. Caus. 30. q. 5. can. 4.

Relatum est quemdam alterius uxorem stupro violasse, et insuper moechae, vivente viro suo juramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem, si supervixisset, duceret eam uxorem; tale ergo matrimonium prohibemus. Caus. 31. q. 1. can. 4.

Non conjuges, sed adulteri vocantur, qui non secundum praecepta Christi conjunguntur. Caus. 32. q. 2. c. 2.

Qui jam admoniti a Sacerdote semel, bis, terque ut corrigerentur ad thorum conjugis noluerint reddire, dignitatis gradum amissuri sunt. *ibid.* q. 5. c. 21.

Nihil est foedius, quam uxorem amare qua-

si adulteram; rege impetus voluptatis, nec praeceps feretur in coitum. *ibid.* c. 5.

Liberorum procreatio in matrimonio laudatur, meretricia voluptas etiam in uxore damnatur. *ibid.* c. 14.

Qualiscunque est vir, exquo semel placuit, non est dimittendus; sic si uxorem quis habeat sterilem, vel deformem, debilem membris, vel coecam, vel surdam, vel claudam, vel siquid aliud, sive morbis, sive doloribus, langvoribusque confectam, et quidquid excepta fornicatione cogitari potest vehementer horribile, pro fide, et societate sustineat. Caus. 32. q. 5. can. 17. et 18.

Maritos tanto gravius puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet et virtute vincere, et exemplo regere foeminas. Caus. 32. q. 6. c. 5.

Dominus praecepit uxorem non dimitti excepta causa fornicationis, et si dimissa fuerit, manere innuptam, sed quia permisit, non jussit. Caus. 32. q. 5. c. 19. et 20., item q. 7. can. 3.

Communione privetur, qui extra causam fornicationis uxorem dimittit. Caus. 32. q. 5. c. 21.

Furiosi matrimonium contrahere non possunt, sed si contraxerunt, non separantur. Caus. 32. q. 7. c. 26.

Clerici, si uxores eorum (*nunc jam tantum Graeco Catholicorum*) peccaverint, praeter necem eas domi custodiant, et ad salutaria eas cogant jejunia. Caus. 33. q. 2. c. 10.

Absque causae cognitione a viro suo dimissa ad omnia restituatur, et nisi post restitutio-

nem de Causa eorum judicium est agitandum. *ibid.* Can. 3. et 4.

Non potest vir continentiam servare, nisi uxoris teneat consensum. *ibid.* q. 5. c. 1., sed mulieris ad id consensus extorqueri non debet. *ibid.* c. 2., sed si uxor forte sine consensu mariti votum continentiae faceret, vir ejusmodi votum abnuere potest. *ibid.* c. 3., sed quae mulier cum viri consensu vota promisit, idem vir abnuere nequit. *ibid.* c. 4. nam et vovenda talia non sunt a conjugatis, nisi ex consensu, et voluntate communi, et si praepropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persolvenda promissio. *ibid.* c. 6., ceterum vota haec continentiae, quae mulier permittente viro promisit, illo prohibente servare non cogitur. *ibid.* can. 11. *in Rubro.*

Est ordo naturalis ut serviant foeminae viris, quia nulla justitia est, ut major serviat minori. Causa 33. q. 5. can. 12. Satis hinc apparet, quemadmodum subditas foeminas viris, et pene famulas lex esse voluerit uxores. *ibid.* can. 14. cum caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus, quaecunque uxor non subjicitur viro suo, hoc est capiti suo, ejusdem criminis rea est, cujus et vir, si non subjiciatur Christo capiti suo. *ibid.* can. 15. ideo arbitrium viri mulierem sequi oportet, in omnibus. *ibid.* can. 16., et mulierem constat subjectam dominio viri esse, et nullam auctoritatem habere: nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dare, nec judicare, quanto magis non potest imperare. *ibid.* can. 17

Si virgo nesciens viro nupserit alieno, donec hoc ignoret, hucusque adultera non erit, sciens vero adultera est. Caus. 34. q. 1. c. 5. et seq., quae enim alteri nupserit, putans virum suum mortuum esse, illo redeunte ad priorem redire cogitur. *ibid.* c. 1.

In lectum mariti absente uxore soror ivit uxoris, quam ille uxorem suam putans, dormivit cum ea; — Si per securitatem veram probaverit, quod inscius fecerit hoc, legitimum suum conjugium habere permittitur. *ibid.* c. 6.

Quamdiu nescit peccatum mulieris, sine crimine est vir vivens cum ea. *ibid.* c. 7.

Fraude intercedente, si judicium pro divortio latum jam esset, si producatur juramentum etiam unius, in foro appellatorio Causa uberius cognoscatur. L. 1. T. 41. c. 4.

In causa matrimoniali arbiter nequit assumi. *ibid.* cap. 9.

Restituitur conjux viro brobanti desponsationem, et copulam, et de ipsius impunitate caventi, nisi magna sit viri saevities. L. 2. T. 13. cap. 8.

Mulier modo per se, modo per Procuratorem, ante ipsius Causae ingressum, et post, virum sibi restitui postulans, petito potiatur. *ibid.* cap. 10.

Si contra petentem restitutionem conjugis apponitur consangvinitas in gradu prohibito, et offeruntur probationes paratae, recepto ab opponente juramento de malitia, negabitur restitu-

tio quoad thorum, et fiet quoad reliqua; si vero probationes promptae non sunt, fiet restitutio, nisi sit magna viri saevitia. L. 2. T. 13. cap. 13.

Lite pendente, accusatus ad divortium thori non debet privari possessione conjugali. L. 2. T. 16. cap. 2.

Ubi agitur de matrimonio contrahendo, probato impedimento, alii testes super defectu impedimenti non sunt admittendi. L. 2. T. 19. c. 6.

Ex causa levi, et temeraria conjuges etiam quoad thorum separare se non possunt, etiamsi jurassent. L. 2. T. 24. c. 24.

Mulier, quae in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat separata, ad religionem convolare. L. 3. T. 32. c. 21.

Si alter conjugum infidelium venit ad fidem, altero remanente in infidelitatis errore, communis proles assignatur converso. L. 3. T. 33. cap. 2.

Si aliqui apti ad Matrimonium contrahunt per verba obscura, communem verborum intellectum sequi tenentur. L. 4. T. 1. c. 7.

Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere, et tunc eam sibi reconciliare debet. *ibid.* c. 9.

Matrimonium metu contractium est ipso facto nullum. *ibid.* c. 13.

Matrimonium solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit. *ib.* c. 14.

Uxor non certificata de morte mariti contrahere non potest, quamvis ignoret, quid sit de marito, qui longo tempore abfuit. *ib.* c. 19.

Qui meretricem duxit in uxorem, ut errantem ab erroris semita reduceret, agit in remissionem peccatorum. *ibid.* c. 20.

Matrimonium per vim contractum cohabitatione spontanea convalescit. *ibid.* c. 21.

Mutus et surdus, et omnes qui non prohibentur, matrimonium contrahere potest. L. 4. T. 1. cap. 23., sed furiosus non potest. *ibid.* c. 24.

Cum matrimonia sunt contrahenda, debent per Presbyteros in Ecclesia edicta proponi, assignato termino, intra quem, qui voluerit impedire, impedimentum opponat, et si probabilis conjectura fuerit de impedimento, interdicatur testimonium, donec de hoc cognoscatur. L. 4. T. 3. c. 3.

Siquis praesumserit in gradu prohibito etiam ignoranter matrimonium facere, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur; — pari modo si ambo Parentes impedimentum scientes, legitimum praeter omne interdictum contrahere praesumserunt. *ibidem.*

Defectus turpis conditionis in contractu matrimonii appositae non vitiat matrimonium, sed vitiatur. L. 4. T. 5. c. 1. et 7.

Contrahens matrimonium sub conditione non improbata, non compellitur matrimonium consumare ante conditionis eventum. *ibid.* c. 5.

Conjuges propter lepram separandi non sunt, et contrahere possunt matrimonium. L. 4. T. 8. c. 1. et seq.

Cum agitur de foedere matrimonii, reo absente contumaciter, possunt super impedimento matrimonii recipi testes, dummodo sint legitimi, et ad dicta eorum fertur sententia. L. 4. T. 18. c. 1.

Accusatio in causa matrimoniali personaliter, et non per litteras fieri debet. *ib.* c. 2. testificari vero et accusare possunt in matrimonio etiam cognati, vel Parentes. *ib.* c. 3.

Vir non potest dimittere uxorem sine judicio Ecclesiae, etiam propter impedimentum parentelae notorium. — Si fama refert impedimentum conjugii, etiam nemine opponente, Episcopus ex officio suo potest de eo inquirere. Si vero impedimentum est notorium, potest Episcopus ex officio suo matrimonium separare. L. 4. T. 19. cap. 3.

Si notorium est mulierem adulterium commisisse, ad eam recipiendam vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse. *ibid.* c. 4. et 5.

Pagani, *(intellige etiam Judaeos)* juncti in gradu prohibito, lege canonica tantum conversi ad fidem non separantur. — Si paganus prius plures uxores habuit, post fidem susceptam adhaerebit primae. — Et si repudiata uxore, cum secunda contraxerit, etiam post baptismum dimittet secundam, et adhaerebit primae repudiatae, etiamsi repudiata cum alio contraxisset; secus si fornicata fuisset. L. 4. T. 19. c. 8.

Matrimonium praemissis (*nisi Episcopus dispensaverit*) trinis denunciationibus, in Ecclesia, Parocho proprio, et duobus, vel tribus testibus praesentibus contrahatur, secus nullum est, et contraveniens tam Parochus, quam contrahentes arbitrio Episcopi puniuntur. —

Si vero quis Sacerdotum alterius Parochiae Sponsos, sine licentia proprii Parochi conjungeret, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, absolvatur. Conc. Trid. Ses. 24. c. 1.

MENDACIUM.

Uterque reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium facit. Caus. 11. q. 3. c. 80. 86.

Mentiri humilitatis causa non licet. Caus. 22. q. 2. can. 9.

Mendax precator careat penitus impetratis, et si nimia mentientis inveniatur improbitas, etiam severitati subjaceat judicantis. Caus. 25. q. 2. can. 16. in Notis.

MERETRIX.

Fatuus, et injustus est, qui retinet meretricem. (Uxorem) Caus. 32. q. 1. c. 1.

Si meretricem ducat in uxorem quis, ut eam ad pudicitiam convertat, bonum opus facit. *ibid.* c. 14.

MISSA.

Siquis praeter ordinationem Domini, quam de sacrificio instituit, mel, lac, vel siceram,

(cerevisiam) supra altare obtulerit, deponitor. Can. Apost. 3.

Missarum celebrationes non alibi, quam in sacratis Domino locis, absque magna necessitate, fieri debent. Dist. 1. can. 1. de consecr. et hoc si summa necessitas coëgerit, non in Domibus, quia in domibus sacrificia offerre canonibus prohibitum est, sed in Tabernaculis, et in mensis Domino sacratis, et sacra unctione a Pontificibus, (Episcopis) delibutis. *ibid.* can. 2. 11. et seq.

Combusta Ecclesia, missa in capellis potest celebrari; in itinere autem etiam sub dio, seu in tentoriis, si tabula Altaris consecrata, ceteraque requisita adfuerint. *ibid.* c. 30.

In privatis Oratoriis orare licet, non tamen Missas celebrare. *ib.* c. 33. nisi cum consensu Episcopi. *ib.* c. 34.

Festis majoribus nonnisi in Parochiis, — et non in Oratoriis — Missa celebretur. *ib.* c. 35.

Sacrificium Altaris non in serico, panno, aut tincto quispiam celebrare praesumat, sed in puro linteo, ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato, atque contexto. *ibid.* can. 46.

Sacramenta Altaris nonnisi a jejunis celebrentur, et percipiantur. Can. 49. Dist. 1. et can. 54. Dist. 2. de Consecr.

Nullus Presbyter ad solennia Missarum celebranda praesumat cum baculo introire, aut velato capite. Can. 49. Dist. 1. de cons.

Episcopus celebrans Presbyteros, secum ha-

beat duos, et tres Diaconos. *ibid.* can. 59. et 60. Presbyter etiam ne praesumat celebrare nisi duobus praesentibus, et respondentibus. *ib.* c. 61. absque Ministro vero nullus Presbyter potest Missam celebrare. L. 1. T. 17. c. 6.

Missam audire quisque tenetur integram, nec ante benedictionem egredi. c. 64.

Panis, et vinum, et aqua in sacramentis sunt offerenda. Dist. 2. can. 1. et 5. de consecr.

Quotidie Eucharistiae communionem percipere nec laudo, nec vitupero; omnibus tamen Dominicis diebus communicandum svadeo, et hortor, — si tamen mens absque affectu peccandi sit. *ib.* can. 13. et si non, adminus ter in anno laici homines communicent, nempe in Pascha, Pentecosten et Natali Domini. *ib.* c. 16.

Nulli laicorum liceat in eo loco, ubi Sacerdos, et reliqui Clerici consistunt (quod Presbyterium nuncupatur;) quando Missa celebratur, consistere. *ibid.* can. 30.

Statutum est, ut stantes ad Orationem vota Domino reddamus. Dist. 3. can. 10. de consecr.

Non audiatur Missa Presbyteri concubinam habentis. Parte I. Dist. 32. can. 5. et 6.

Sacerdos tempore oblationis a complexu uxoris abstineat. Dist. 31. can. 13.

Graeci Presbyteri Latino, et Latini Graeco more Missas, vel officia divina non celebrent. Sept. L. 3. T. 8. c. 3. Decretum Pii 5ti anno 1566.

Vide etiam: *Eucharistia* et *Clericus*.

MONACHUS.

Monachus Sacerdotem accusare, vel in eum testificari non potest. Caus. 2. q. 7. c. 53. 54.

Monachi sibi compatres, et commatres non faciant, nec osculentur foeminas. Can. 103. et 104. Dist. 4. de consecr.

Monachus ille tantum ad beneficium ecclesiasticum dari potest, quem Superior Monasterii Episcopo dederit. Dist. 58. can. 1.

Monachus ne ordinetur, nisi per Abbatem Episcopo fuerit oblatus. *ibid.* c. 1. et 2.

Monachum per omnia singulariter agere oportet: poenitentiam nemini tribuat, nisi sibi invicem, mortuum non sepeliat, nisi Monasterio secum commorantem, vel si fortuito quempiam adventitium fratrem ibi mori contigerit. Caus. 16. q. 1. can. 1.

Nemo potest et ecclesiasticis obsequiis deservire, et in Monastica regula ordinate persistere. *ib.* c. 2.

Monachus non docentis, sed plangentis habet officium. *ibid.* c. 4.

Mihi Monacho ante Presbyterum sedere non licet. *ibid.* c. 6.

Interdicimus Abbatibus, et Monachis publicas poenitentias dare, infirmos visitare, et unctiones facere, et Missas publicas cantare. *ib.* c. 10.

Convenit Civitatis Episcopo curam sollicitudinemque necessariam Monasteriis exhibere. *ib.* c. 12.

Monachi, qui sine Episcopi licentia vagantur, ad propria loca redire cogantur. *ib.* c. 17.

Nullus Monachus audeat praedicare. *ib.* c. 19.

Docti, et probi tamen Monachi Presbyteri honore dedicati, functionibus Ordinis uti permittuntur. *ib.* imo Clericorum Officia libere administrare poterunt. *ib.* can. 21. et seq.

Monachorum Ecclesiae in singulis Parochiis sitae Episcoporum subdantur regimini. Caus. 16. q. 2. c. 7.

Ante probationem triennii nullus in Monasterio suscipiatur. Caus. 17. q. 2. c. 3.

De Monacho factus Episcopus, quae ante consecrationem habuit, Monasterio relinquere tenetur. Caus. 18. q. 1. c. 1.

Monachus quidquid aquisiverit, vel habere visus fuerit, Monasterio relinquat. *ib.*

Nullus Monachus sine testimonio, et concessione Abbatis (superioris) sui in Ecclesia aliquem locum teneat, vel ad aliquem honorem promoveatur. Caus. 18. q. 2. can. 5.

Monachorum disciplina ad eum pertinet Episcopum, in cujus territorio sunt. *ib.* c. 17.

Mulieres Monasteria non introeant. *ib.* c. 6.

Abbas cum humiliatione, et cum permissione Episcopi locum suum potest relinquere. *ib.* c.8.

Qui religiosis foeminis praeponendus est, ab Episcopo comprobetur. *ib.* c. 11.

Siquis Abbas (Superior Monasterii) discretus, castus, sobrius non fuerit, ab Episcopo, et vicinis Abbatibus a suo arceatur honore. *ib.* c. 15.

Neque ad foeminas accedere, neque commatres sibi facere Monachis licet. *ib.* c. 20.

Si aliquam propingvam sibi videre voluerit Monachus, in praesentia Abbatissae huic confabuletur per modica, et compendiosa verba. *ib.* c. 21.

Monachi cum Monialibus familiaritatem non colant, nec usque ad vestibulum Monasterii earum accedendi permissum habeant; neque Abbatem, qui eis praeficitur cum sola loqui oportet; rara tamen sit, et hujus accessio, et brevis locutio. *ib.* c. 24.

Non semel sed saepius in anno Episcopi visitent Monasteria, et corrigenda corrigant. *ib.* can. 29.

Non debet Episcopus quidpiam a Monasterio exigere praeter conditiones, quae dedicationis tempore constitutae sunt. *ib.* c. 30.

Clericis vitam monasticam appetendi, et Monasteria ingrediendi facultas ab Episcopo negari non potest. Caus. 19. q. 1. c. 1. item q. 2. can. 2.

Priusquam biennium quis in conversatione compleat, nullo modo tonsurari potest. Caus. 19. q. 3. can. 6.

Monachus testari non potest, sed tota ejus substantia Monasterio cedit. *ib.* c. 7.

Monachos factos liberos Parentibus exhaereditare non licet. *ib.* c. 10.

Virgines non velentur ante 25 annos. *ib.* can. 15.

Monacho non licet votum vovere sine con-

sensu Abbatis sui, secus votum ejus irritum est. Caus. 20. q. 4. c. 2.

Tantum Episcopi concessione Presbyter virginem (Monialem) consecrare potest. Caus. 26. q. 6. can. 2.

Excommunicentur Viduae, quae abjecto habitu religioso, nuptias elegerint. Caus. 27. q. 1. can. 1.

Quae virgines post habitum Religionis nubunt, a communione suspendantur. Caus. 27. q. 1 can. 7. et seq.

Qui religiosam vestem abjecit ad Monasterium redire cogatur. *ib.* c. 18.

Monachus uxorem ducens nunquam sacri gradus sortiatur officium. *ib.* c. 32. prius tamen ab uxore separetur, et in Monasterio praecludatur. *ib.* c. 39. et 40.

Vi, et metu habitum assumens exire poterit, et uxorari. L. 1. T. 40. c. 1.

Religiosi ad testificandum non admittuntur absque juramento, nisi a partibus remittatur. L. 2. T. 20. c. 39. et 51.

Religiosi cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem disciplinam appellare ne praesumant, sed humiliter, ac devote suscipiant, quod pro salute sua fuerit iisdem injunctum. L. 2. T. 28. c. 26.

Contra constitutiones regulares appellatio Religiosum non defendit. *ibid.* c. 32.

Non potest quis ad religionem admitti, nisi volens, et in aetate idoneus. L. 3. T. 31. c. 1.

Monachus temere ad aliud Monasterium transire, vel peculium habere non potest. *ib.* c. 5.

Canonicus regularis potest esse Monachus, si religio ad quam transit, est sua strictior. *ib.* c. 10.

Religiosi fugitivi cogendi sunt, ut ad Monasterium revertantur. *ibid.* c. 21.

Monachi non debent poni singuli per Paraecias, Canonicus tamen regularis potest praefici Ecclesiae etiam seculari, sed debet habere secum socium Ordinis sui. L. 3. T. 35. c. 2. et 5.

Monachus habens pecuniam sine licentia superioris ab Altaris communione removetur. *ib.* c. 2.

Si Religiosus non obtenta licentia, consentit electioni de se factae extra suum Monasterium, non valet consensus, et irrita est electio. Sext. L. 1. T. 6. c. 27.

Non professi cum professis electioni interesse non debent. *ibid.* c. 32.

Religiosus non potest fieri Testamenti executor. Sext. L. 3. T. 11. c. 2.

Religiosi in suis Monasteriis sepeliantur, et non possunt sibi sepulturam eligere. Sext. L. 3. T. 12. c. 5.

Religionem ingredi volentis Presbyteri beneficium non est alteri conferendum intra annum probationis, nisi ipsius accedat consensus, sed debet interea administrari per alium. *ib.* T. 14. c. 4.

Moniales tacite, vel expresse professae clausuras Monasterii exire non possunt, nec alii ad il-

las intrare, nisi causa legitima, et superioris licentia interveniat. Sext. L. 3. T. 16. can. unic.

Religiosus professus habitum temerarie dimittens, vel ad quaecunque studia absque licentia Superioris accedens, ipso facto excommunicatur. Sext. L. 3. T. 24. can. 2.

Religiosi extra claustra divagantes, moniti non reversi, ut apostatae tractentur. Sept. L. 3. T. 18. c. 1. et 2.

Regulares non possunt audire Confessiones secularium, nisi approbatione, et indultu ordinariorum. *ibid.* c. 3.

Monialibus, incendii, infirmitatis, leprae, vel epidemiae necessitate a clausura egredi postulata facultas non denegatur. Sept. L. 3. T. 19. can. 3.

Religiosi veste seculari utentes, illam intra mensem tenentur suis Superioribus resignare in pios usus convertendam. Clem. L. 3. T. 1. c. 2.

Deferens habitum novitiorum per annum inteligitur professus. *ibid.* T. 9. c. 2.

Monachis prohibetur exquisitus ornatus vel excessus in vestibus, cibis, potu, equis, et lectisterniis. Clem. L. 3. T. 10. c. 1.

Monachi a venationibus, et aucupationibus abstineant, nec eis interesse, aut canes, vel aves venaticas per se, vel per alios tenere praesumant. *ibid.* c. 1.

Monachus uxorem accipiens excommunicatur. Clem. L. 4. T. 1.

Mendicantes sub excommunicationis poena

prohibentur recipi ad non mendicantes. Extr. Com. L. 3. T. 8. c. 1.

Religiosi in Monasteriis, ubi est cura animarum, praedicare obligantur, prius tamen a Superioribus, et Episcopis approbati. — Quaestantes Monachi, et extra Monasteria degentes, etiamsi exempti, praedicare nequeunt. Conc. Trid. Ses. 5. c. 2.

Extra Monasterium degens, etiamsi privilegiatus, si excesserit, ab Ordinario loci corigatur. Conc. Trid. Ses. 6. c. 3.

Omnis Religiosus ad regulae cui professus est, praescriptum vitam instituat; — nihil proprii possideat. — Sine licentia Superioris a Conventu non recedat. Si deliquerit Monachus, ad denunciationem (postulationem) Episcopi, a suo Superiore, intra tempus ab Episcopo praefigendum severe puniatur, de qua poena Episcopo relatio officiosa reddi debet; si Superior id neglexit, ab Episcopo puniri potest. — Finito novitiatu aut profiteatur, aut ejiciatur. Conc. Trid. Ses. 25. c. 1. et 22. de Regul.

MONASTERIUM

Si Episcopus de rebus Ecclesiae Monasterio quidpiam absque Ecclesiae detrimento donaverit, sit stabile. Caus. 12. q. 2. can. 73.

Religiosi debent habere syndicum, qui Causas Monasterii agat, et defendat; etiamsi constituto illi salario. L. 1. T. 39. c. unic.

Episcopi Monasteria sibi subjecta studeant

reformare, praecaventes, ne debitis oneribus agraventur. L. 3. T. 35. c. 7.

Visitatores Monachos contumaces, juxta modum culpae, regulari censura percellant absque personarum delectu. *ibid.* c. 8.

Episcopo subsunt omnia loca pia, et ad ejus sollicitudinem debent ordinari ad usum destinatum. L. 3. T. 36. c. 3. et seq.

Ad curam Monasterio subjectam non Monachi, sed seculares Clerici praeficiuntur, et Episcopis subsunt. L. 3. T. 37. c. 1.

MONIALIS.

Vide: *Monachus.*

MULIER.

Mulierum frequentatio Clericis prohibetur. Dist. 23. can. 3. Dist. 28. c. 9. Dist. 41. c. 60. Dist. 56. can. 33. Dist. 81 can. 20. Dist. 28. can. 9. Dist. 32. can. 5. et 6. Dist. 50. c. 29. Caus. 27. quaest. 1. can. 6. Caus. 30. quaest. 1. can. 8. et seq. L. 5. T. 31. c. 4. L. 3. T. 2. cap. 1.

Mulier si vult, nubat tantum in Domino, ut electionem mariti Parentibus deferat, ne appetentiae procacioris existimetur auctor, si ipsa de nuptiis suis electionem sibi vendicet. Expetita enim magis debet videri a viro, quam virum ipsa expetisse. — Verecundiam praemittat. Caus. 32. q. 2. c. 13.

In mulierem singularem tamquam in arbitrum compromitti non potest. L. 1. T. 43. c. 4.

Nulla foemina ad Altare praesumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, vel sedere. L. 3. T. 2. c. 1.

MUTILATIO.

Qui sibi virilia abscidit, Clericus esse non potest. Dist. 55. can. 4.

Siquis sibi volens digitum abscidit, non fiat Clericus, si casu poterit fieri. *ibid.* can. 6.

NEGLIGENTIA.

Clericus, qui negligentius circa populum agit, neque in pietate eos erudit, a communione segregator; si vero in ea socordia perseveraverit, deponitor. Can. Apost. 57.

Negligens Clericus, si Ecclesiam frequentare, officiumque implere noluerit, ad communionem laicam detrudatur. Dist. 50. can. 21.

Facientis culpam procul dubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Dist. 86. c. 3.

Excommunicetur Clericus, qui ab Episcopo commonitus, matutinis, vel vespertinis horis adesse neglexerit. Dist. 92. can. 9.

Qui negligenter pascit Dominicum gregem, convincitur summum non amare Pastorem. Caus. 25. q. 1. c. 2.

Si ille qui praeest, negligens est, et remissus, debet Superior illi dare idoneum coadjutorem. Sext. L. 1. T. 8. c. 2.

NOTARIUS.

Notariorum sufficientiam, adhibita examinatione Episcopus scrutari debet, non idoneos, aut in officio delinquentes, perpetuo, vel ad tempus prohibere, — appellatione remota. — Conc. Trid. Sess. 22. c. 10.

Notarius copiam actorum appellanti adminus intra mensem (congrua mercede accepta) exhibere debet; qui si hac in parte fraudulentibus fuerit, arbitrio Ordinarii ab officio suspendatur, et ad dupli poenam compellatur. Conc. Trid. Sess. 24. c. 22.

NUPTIAE.

Tempore jejuniorum, seu a septvagesima usque octavas Paschae, et ab Adventu Domini, usque post Epiphaniam non oportet nuptias celebrare. Caus. 33. q. 4. c. 8. — 10., item Conc. Trid. Ses. 24. c. 10. de ref.

Secundae nuptiae non benedicuntur. L. 4. T. 21. c. 1.

OBEDIENTIA.

Obedientia est exhibenda Primatibus, et Patriarchis. Dist. 99. c. 1.

Clericus suo Episcopo inobediens depositus Curiae tradatur. Caus. 11. q. 1. can. 18. 19. et 31., et infamis efficiatur. Caus. 11. q. 3. can. 11. et seq.

Is, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injuste, nec Pastoris sui judicium temere reprehendat, ne etsi injuste ligatus est, culpa quae non erat, fiat. Caus. 11. q. 3. can. 77.

Non semper malum est non obedire Praecepto, cum enim Dominus jubet ea, quae sunt contraria Deo, tunc ei obediendum non est. Caus. 11. q. 3. c. 92. et seq.

Qui parere judicio neglexerint, si tale fuerit negotium, quod certa exinde poena in Canonibus exprimatur, eandem infligas. L. 1. T. 29. cap. 4.

Prius ordinatus ceteris paribus, prior, et major habendus est. L. 1. T. 33. c. 1.

Clericus veniens contra decretum, vel constitutionem Episcopi debet excommunicari. *ib.* c. 2.

Non obediens canonicis Institutis incurrit inobedientiae notam, id est infamiae. L. 1. T. 33. c. 5. et seq.

Vacante Episcopatu Capitulum confirmat, vel infirmat electiones (ergo ei obediendum est.) *ib.*c.14.

Subditus non tenetur parere Superiori aliquid exigenti, vel praecipienti contra tenorem sui privilegii. L. 5. T. 31. c. 5.

ONANIA.

Minus est secundum naturam coire, quam contra naturam delinquere. — Graviora sunt flagitia, quae contra naturam probantur. — Turpior, et flagitiosior est usus contra naturam, quam fornicationis, vel adulterii. — Omnis immunda pollutio fornicatio est. Caus. 32. q. 7. can.12. et seq.

OPERA BONA.

Qui donant histrionibus, et meretricibus, non attendunt naturam operis Dei, sed nequiti-

am operis humani, — immane vitium faciunt. Dist. 86. c. 7. et seq.

Non recipiantur dona eorum, qui pauperes opprimunt. Dist. 90. c. 8.

Qui non repelit injuriam a socio dum potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. Caus. 23. q. 3. can. 7.

ORDINATIO.

Criminosus ocultus moneri potest, ne promoveatur ad Ordines, sed prohiberi non debet. L. 1. T. 11. cap. 4., talis namque praeter homicidam, post poenitentiam in susceptis ministrat, et ad superiores ascendit, ante poenitentiam tamen monetur, ut etiam in susceptis non ministret. *ibid.* cap. 17.

Duo sacri Ordines non possunt eidem uno die conferri, vel duobus continuato jejunio. *ibid.* c. 13. quia Episcopus una die sacros Ordines conferens ab ordinandi potestate suspenditur. *ibid.* c. 17.

Graeci a Latinis Episcopis ordinari non debent, nec contra. L. 1. T. 11. c. 9. — Et si Graecus Episcopus Latino subjectus ordinatur sine Latini licentia a Graeco, interdicitur sibi executio. *ibid.* c. 11.

Episcopus interrogatus in scrutinio Episcopi ordinandi, potest respondere illum dignum, si non novit illum indignum. L. 1. T. 12. cap. un.

Regimen Ecclesiae minori 14. annis committi non debet. L. 1. T. 14. c. 3. ideo ad regimen

Ecclesiae non debet institui indignus scientia, moribus, vel aetate, et qui habet duas Ecclesias. *ib.* c. 4. — ex hoc principio, is qui nondum est in sacris, si alias est idoneus, ad regimen Parochialis Ecclesiae dispensative potest assumi, dummodo talis sit, qui mora unius anni in Presbyterum ordinari possit. *ib.* c. 5.

Ordinatus ad Sacros sine titulo, ab Ordinatore juste petit beneficium. L. 1. T. 14. c. 13.

Cum sit ars artium regimen animarum, districte praecipimus, ut Episcopi promovendos in Sacerdotes diligenter instruant, et informent vel per se ipsos, vel per alios idoneos viros super divinis officiis, ecclesiasticisque Sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare. Quoniam si de cetero rudes, et ignaros ordinare praesumpserint, et Ordinatores, et ordinatos ultioni gravi decernimus subjacere. — Sanctius enim est paucos bonos, quam multos malos habere ministros. L. 1. T. 14. c. 14.

Illegitimus non ordinatur, nisi ut religiosus fiat, nec tunc ad praelaturam habilitatur. L. 1. T. 17. c. 1. item T. 18. c. 18.

Obligatus ratiociniis, deposito onere, et reddita ratione, ordinari potest, prius vero non. L. 1. T. 19. cap. unico.

Alienum Clericum ordinare nefas, et qui ordinavit alienum, per annum suspensus sit. Sext. L. 1. T. 9. c. 2.

Episcopus originis, vel ecclesiastici beneficii commendatitias ad Ordines dare potest. *ib.* c. 3.

Episcopus Tonsuram illiterato, aut alterius Dioecesis homini, absquae Praelati licentia non conferat, contra faciens punitur. Sext. L. 1. T. 9. c. 4.

Sede vacante per annum ordinatio nulli conceditur. — Ordinatio namque fieri debet a proprio Episcopo, vel per hunc facultato. Conc. Trid. Sess. 7. c. 10. et seq.

Nonnisi unus ex sacris Ordinibus uno die conferri potest, at minores Ordines ex opinione multorum, conferri possunt omnes eodem die secundum dispositionem Juris Canonici. Imo *Navarrus* putat etiam post Conc. Trid. — juxta Sess. 23. de ref. c. 8. in Manuali Confessar. c. 25. n. 71. — ubi esset hujusmodi consvetudo, — posse quempiam suscipere uno eodemque die quatuor minores, et Subdiaconatum. —

PACTUM.

Pacta quantumcunque nuda servanda sunt. L. 1. T. 35. c. 1. et 13.

Conventio invalida per consensum Superioris validatur. *ibid.* c. 2.

Non valet pactum, per quod beneficium ecclesiasticum debet resignari. *ib.* cap. 4. et 5. quia qui taliter obtinuit beneficium, debet eo privari, et alias canonice puniri. *ibid.* c. 6.

Si Ecclesia rem suam locando, vel in feudum concedendo apponit pactum in praejudicium juris parochialis alterius Ecclesiae, non tenet, et quidquid hac occasione perceperit, reddere cogitur illi Ecclesiae. *ibid.* c. 7.

Pactum turpe vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto nullam obligationem inducit. *ib.* c. 8.

Super ecclesiastico beneficio transigi, (pactari) non licet, et talis transactio irrita est. L. 1. T. 36. c. 4. et seq.

Quamvis pactum Patri factum a filia dum nuptui tradebatur, ut dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis, si tamen juramento praestito fuerit firmatum, ab eadem omnino servari debebit. Sext. L. 1. T. 18. c. 2.

PAROCHIA.

Siquis Presbyter relicta Parochia sua contra voluntatem Episcopi in aliam concesserit, hunc jubemus ne porro in ministerio publico sit Ecclesiae. Can. Apost. 14.

Regenda est una quaequae Parochia sub provisione ac tuitione Episcopi per Sacerdotes, quos ipse (Episcopus) cum Dei timore providerit, cui jure pertinere videtur. Caus. 10. q. 1. can. 4. et seq.

Parochiae rusticanae maneant in potestate Episcopi immobiles, si eas 30 annis gubernarunt. Caus. 16. q. 3. can. 1.

Is qui nondum est in sacris Ordinibus, si alias est idoneus, ad regimen Parochialis Ecclesiae, dispensative potest assumi, dummodo talis sit, quod intra breve tempus (intra annum) in Presbyterum possit ordinari. L. 1. T. 14. cap. 5.

Qui parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium (*Cooperatorem*) sed per se ipsum illi deserviat in ordine, quem Ecclesiae cura requirit, alioquin ille se sciat auctoritate hujus Decreti privatum, ac Ecclesiae curam alteri conferendam. L. 3. T. 5. c. 30.

Qui in beneficium viventis se institui fecit, deponendus est. L. 3. T. 8. c. 1.

Ecclesiasticum beneficium vacans adminus intra sex menses idonea persona provideatur. *ib.* c. 2.

Statuitur etiam, Ecclesiastica beneficia vigore Decreti Lateranensis Concilii sine diminutione esse conferenda. L. 3. T. 12. c. un.

Occulta collatio beneficii, licet sit suspecta, bene valet, dummodo alias legitime facta probetur. *ib.*

Nemo successor antecessoris sui poena sit obligatus, sed suae providentiae sit concessum, ut si antecessor res Ecclesiae irrationabiliter distribuit, ab eo ad jus Ecclesiae ejusdem revocentur. L. 3. T. 14. c. 2.

Si Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quae uni loco minus sunt utiles alibi se valeant utilius exercere L. 3. T. 19. c. 5.

Beneficia sua perdunt, qui ea propria auctoritate permutant. *ib.* c. 7.

Parochialis Ecclesia nemini conferatur, qui non est idoneus scientia, moribus et aetate, et si conferatur non attingenti 25. annos, non valet

collatio. Ille autem cui talis Ecclesia collata est, tenetur personaliter residere, et intra annum Sacerdos fieri, si autem promotus non fuerit, elapso anno privatus est ipso jure. Sext. L. 1. T. 6. c. 14. et 15. possunt tamen Episcopi dispensare, ut usque ad septennium promoveatur. *ib.* c. 34.

Qui vi, vel injuste occupat secundum beneficium curatum, privatus est primo; — qui autem vi beneficium aliquod curatum occupat, est ipso jure privatus jure, quod in illo, vel ad aliud habebat. Sext. L. 3. T. 4. c. 18.

Non obstantibus exspectationibus, beneficiorum permutatio fieri potest. Sext. L. 3. T. 10. cap. un.

Instituti in Ecclesiis Monachorum ad curam populi per Episcopum ad ipsorum praesentationem, tantum per eundem Episcopum destitui possunt. (*ex causa canonica*) Sext. L. 3. T. 18. cap. un.

Parochialium Ecclesiarum collationes citra formam a Concilio Trid. praescriptam factae, nullius sunt effectus, vel juris. Sept. L. 1. T. 10. cap. 2.

Ad beneficia curata, vita et morum, tum doctrinae splendore insignes provehi debent examine praevio, et dioecesanorum testium fide mediante. Sept. L. 1. T. 10. c. 7.

Inferiora beneficia ecclesiastica praesertim curam animarum habentia personis dignis, et habilibus conferantur. Conc. Trid. Sess. 7. c. 3.

A quocunque praesentatus non instituatur ad beneficium sine praevio examine, et approbatione Ordinarii. *ib.* c. 13.

Nulli beneficium exigens personalem residentiam obtinenti abesse licet, nisi justa de causa ab Episcopo approbanda, qui tunc etiam vicarium, subducta parte fructuum, substituat ob curam animarum. Conc. Trid. Sess. 6. c. 2.

Ii quibus cura animarum commissa est, tenentur oves suas noscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere. Conc. Trid. Sess. 23. c. 1.

In parochialibus Ecclesiis, quarum fructus adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, ut primitiarum, vel decimarum assignatione, et per Parochianorum Symbolas, ac collectas pro curatoris necessitate confletur. Trid. Sess. 24. c. 13.

Vacanti Parochiae Episcopus praeficiat idoneum Vicarium. *ibid.* c. 18.

Non licet proventus Ecclesiae (*Parochiae*) in censum locare, in praejudicium successorum, tales namque locationes irritae sunt. Trid. Sess. 25. c. 11.

PAROCHUS.

Archi-Presbyteri, Plebani, et quicunque curam animarum habentes per se, vel si impediti

fuerint, per alios idoneos diebus Dominicis, et festis solennibus praedicare tenentur cum brevitate, et facilitate sermonis. — Negligentes moniti per censuras ad arbitrium Episcopi cogantur. Trid. Ses. 5. c. 2. et Ses. 24. c. 4.

Parochus tenetur cathechisare proles, seu in clementis fidei instituere, negligentes ad id per censuras ecclesiasticas compellendo. Trid. Ses. 24. c. 4.

Ceterum vide: *Parochia, et Pastor.*

PASTOR.

An non pertinet ad diligentiam pastoralem etiam illas oves, quae a grege aberraverint, inventas ad ovile dominicum, si resistere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus revocare. Caus. 23. q. 6. can. 1.

Qui negligenter pascit dominicum gregem sibi commendatum, convincitur summum non amare Pastorem. Caus. 25. q. 1. can. 2.

PASQUILLUS.

Librorum famosorum auctores, et qui eos publicaverint, dolove malo retinuerint, poenis jure constitutis subjiciantur, seu infames sint. Sept. L. 5. T. 5. c. 1. et 2.

Ceterum vide: *Calumnia.*

PATRONUS.

Patronus qui res Ecclesiae dilapidat, uno anno poeniteat. Canon Poen. 42.

Ecclesiam convenit dedicari collata primitus donatione solenni, sciturus sine dubio praeter processionis aditum nihil ibidem se proprii juris habiturum. Caus. 16. q. 7. can. 26.

Si vero Ecclesiarum fundatores ad inopiam vergere coeperint, ab iisdem Ecclesiis vitae temporalis suffragia percipiant. *ibid.* c. 29.

Filiis, vel nepotibus ejus, qui Ecclesiam construxit, vel dotavit, licitum sit hanc habere solertiam, ut si Sacerdotem e collatis rebus praeviderint aliquid defraudare, aut honoste compescant, aut Episcopo, vel Judici corrigenda denuncient. Ipsis tamen haeredibus in eisdem rebus non liceat quasi juris proprii potestatem praeferre, non rapinam, non fraudem ingerere. Caus. 16. q. 7. can. 31.

Laici Presbyteros de Ecclesiis non ejiciant, neque in eis constituant, sine consensu Episcoporum. *ibid.* c. 37.

Unde oportet ut canonica regula servata, nullus absque consensu Episcopi sui cuilibet Presbytero Ecclesiam det, quam si juste adeptus fuerit, hanc nonnisi gravi culpa sua, et coram Episcopo canonica severitate amittat. *ib.* can. 38.

Honore privetur, qui de jure Ecclesiae aliquid alienare praesumpsit. Caus. 17. q. 4. can. 1.

Qui revocandum putat, quod Ecclesiae contulit, sacrilegii crimen incurrit. *ibid.* c. 3. et seq.

Si Patronus intra tempus Lateranensis Concilii (seu secularis intra 4, ecclesiasticus autem intra 6 menses) ad vacans beneficium non prae-

sentaverit aptum Individuum, tunc licet Episcopo, — appellatione remota, — ad talem vacantem Ecclesiam ordinare rectorem, ita tamen, quod ex hoc nullum Patrono praejudicium generetur. L. 1. T. 10. cap. 2. et L. 3. T. 38. c. 12. et 22.

Si is, ad quem spectat beneficii collatio, lapso tempore Lateranensis concilii conferat, non valet collatio, nisi de misericordia toleretur. L. 1. T. 10. c. 4. et 5.

Causa Juris Patronatus spectat ad judicium Ecclesiae. L. 2. T. 1. c. 3.

Si Patroni in praesentando discordant, praefertur praesentatus a majori parte si est idoneus, et si hoc sine scandalo fieri non potest, vel Patroni intra tempus debitum non praesentant, Episcopus ordinabit Ecclesiam. L. 3. T. 38. c. 3.

Patronus non potest Clerico, vel alteri Ecclesiae conferre Ecclesiam patronatam, vel alteri donare. *ibid.* c. 5.

Jus Patronatus consistens in aliqua Universitate temporalium transit cum ipsa Universitate, etiamsi haec transeat tantum quoad utile Dominicum; nisi jus Patronatus specifice sit exceptum. L. 3. T. 38. c. 7.

Siquis Ecclesiam cum assensu Dioecesani Episcopi construxit, ex eo jus Patronatus aquirit. — Pro fundatione quoque Ecclesiae honor processionis fundatori servatur, et si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modeste succuritur. *ib.* c.25.

Si quaestio juris Patronatus inter Patronos non definitur intra 4 menses, Episcopus ordina-

bit Ecclesiam, sine praejudicio eorundem. *ibid.* c. 27.

Episcopus qui praesentatum idoneum malitiose recusavit, admittere ad providendum eidem in competenti beneficio compellatur. *ibid.* c. 29.

Licet Patronus Laicus ad praesentandum tempus habeat quadrimestre, Ecclesia tamen, vel Monasterium, cui facta est a laico juris Patronatus collatio, tempus habet semestre. Sext. L. 3. T. 19. cap. un.

In plures haeredes unius ex pluribus Patronis transit jus Patronatus per stirpes. Clem. L. 3. T. 12. c. 2.

PECCATUM.

Publicae peccantes, — si in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum — publicae poeniteant, nisi Episcopo aliter videatur. Conc. Trid. Ses. 24. c. 8. de ref.

Peccata carnalia. Vide: *Adulterium.*

PERCUSSOR.

Clericus percussor deponi jubetur. Can. Apost. 26. item Dist. 45. can. 7. et L. 5. T. 25. cap. 1.

Siquis Clericus in concertatione aliquem pulsaverit, et uno ictu, ac pulsatione interemerit, deponatur. Can. Apost. 64.

Siquis hominem liberum ciderit, dum putat servum suum, in ea causa est, ne injuriarum teneatur. Caus. 15. q. 1. can. 2.

Siquis svadente Diabolo in Clericum vel Monachum etiam non professum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, a Sede Apostolica tantum absolvendus. Caus. 17. q. 4. can. 29. Sext. L. 5. T. 11. c. 21.

Percussor et flagellator Clericorum, si seculari brachio minime coërcetur, fraterno amore conveniatur secundo, et tertio, dein excommunicetur. *ib.* c. 23.

Irregularis censetur, qui alium lethaliter percussit, licet ab aliis fuerit extinctus, — idem est, si non percussit quidem lethaliter, si tamen animum occidendi habuit. L. 5. T. 12. c. 18.

Religiosum Clericum verberantem absolvit Episcopus eo casu, quo absolveret clericum. Sext. L. 5. T. 11. c. 21.

Vide: *Homicidium.*

PERJURIUM.

Clericus in perjurio deprehensus deponatur. Can. Apost. 24. item Dist. 81. c. 12. et L. 2. T. 24. cap. 10. et 11.

Perjuri sunt infames. Caus. 6. q. 1. can. 17.

Quadraginta dies in pane et aqua poeniteat, qui pejeravit, et alios sciens in perjurium induxit. Caus. 22. q. 5. can. 1. et seq.

Qui semel pejeraverit, nec testis sit post hoc, nec ad Sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius juramentum ei admittatur. *ib.* can. 14.

PERSECUTIO

Non est iniquitatis, sed potius humanitatis societate devinctus, qui propterea est criminis persecutor, ut sit hominis liberator. Caus. 23. q. 5. can. 17.

Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter accipere; unde in persecutionibus non licet propria perire manu (absque eo, ubi castitas periclitatur) sed percutienti colla submittere. Caus. 23. q. 5. can. 11.

PIGNUS.

Si creditor, vel si qui ab eo causam habet tot fructus percepit ex pignore, quot satisfactum est sorti, debet pignus restitui debitori. L. 3. T. 21. cap. 6.

POLLUTIO.

Omnis immunda pollutio fornicatio dicitur. Caus. 32. q. 7. can. 15.

Ceterum vide: *Onania.*

POENA.

Toties puniendus est criminosus, quoties delictum iterat. L. 5. T. 37. c. 1.

Poena pecuniaria correctionis causa ex cupiditate non est improbanda. *ibid.* c. 3.

Si uterque contrahentium venit contra contractum, uterque potest exigere poenam ad invicem promissam ex conventione. *ibid.* c. 7.

Prorumpens contra Judicem arbitrio Superioris punitur. *ibid.* c. 11.

POENITENTIA.

Is qui poenitentiam in infirmitate petiit, si casu oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phroenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audiverunt, et accipiat poenitentiam, et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia. Caus. 26. q. 6. can. 8. et 10.

Reus est animarum Presbyter, qui poenitentiam morientibus abnegat. *ibid.* can. 12. et seq. quia quovis tempore non est deneganda poenitentia postulanti. *ibid.* c. 13.

Ab infirmis in periculo mortis positis per Presbyteros pura inquirenda est confessio peccatorum, non tamen imponenda est quantitas poenitentiae, sed innotescenda, et cum amicorum orationibus pondus poenitentiae sublevandum. Cau. 26. q. 7. can. 7.

Pro qualitate delicti tempus poenitentiae impendatur. *ibid.*

Hoc sit in judicio positum eorum qui praesunt, quo tempore, vel quali modo poenitere debeant, qui delinquunt, quia Aetas, et eruditio multam haberi facit differentiam poenae. *ib.* c. 8.

Poenitentem ex corde ita oportet suscipi, sicut Dominus ostendit: dicens, congratulemini mihi, quia inveni ovem meam, quam perdideram. *ibid.* c. 9.

Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus (in imponenda poenitentia) *ibid.* c. 12.

Si Clericus causa fornicationis ad suam poenitentialem accedat, dignitatis gradum amittat. Caus. 30. q. 1. c. 8. et seq.

Poenitentia conjugatis nonnisi ex consensu danda. Caus. 33. q. 4. c. 13.

Non est vere poenitens, qui peccandi animum non deponit, tamen recipitur ejus confessio. L. 5. T. 38. c. 5.

Tenetur quilibet adminus semel in anno confiteri proprio sacerdoti, et adminus in Paschate S. Eucharistiam recipere. L. 5. T. 38. c. 12.

Ad mortem damnatis poenitentia concedi debet. Clem. L. 5. T. 9. c. 1.

Publice peccantibus publica poenitentia est imponenda, et in omni cathedrali Poenitentiarius est instituendus. Conc. Trid. Ses. 24. cap. 8. de ref.

POSSESSIO vel PROPRIETAS.

Causa possessionis, vel proprietatis sub eodem judice debet definiri. L. 2. T. 12. c. 3. et seq.

Vide: *Restitutio.*

PRAEBENDA.

Capitulum vel Praelatus possunt vacanti Praebendae honestum onus imponere, ad quod Praebendarius teneatur. L. 3. T. 5. c. 11.

Plures Praebendas vel beneficia tenere prohibetur. Extr. Joan. T. 3. c. un. et Extr. com. L. 1. T. 7. c. 2. et L. 3. T. 2. cap. 4.

Vide: *Canonicus.*

PRAEDICATIO.

Praedicare tenentur Episcopi sub ultionis comminatione vel per se vel per alios; et omnes Presbyteri curam animarum gerentes, sive seculares, sive regulares ab Episcopis approbati, sub poena ad arbitrium Episcopi irroganda, secus Episcopi constituant negligentibus Cooperatores, e fructibus beneficii solvendos. Conc. Trid. Ses. 5. c. 2. et Ses. 24. c. 4.

Si praedicatores aut scandala in populum disseminaverint, aut haereses praedicaverint, contra eos Episcopi secundum juris dispositionem procedant. Conc. Trid. Ses. 5. cap. 2. et Ses. 24. cap. 4.

PRAELATUS.

Vide: *Episcopus.*

PRAESCRIPTIO.

Quae 30 annis ab Episcopis possidentur, jure ab eis vendicantur. Caus. 13. q. 2. c. 1. et Caus. 16. q. 3. c. 1. et seq.

Sicut Dioecesim alienam tricennalis possessio tollit, ita territorii conventum non adimit. Caus. 16. q. 3. c. 3.

Limitis tamen possessorio praescribi non potest. *ibid.* c. 6.

Clerici quantumcunque diuturnitate temporis de Ecclesiae remuneratione aliqua posséderunt, in jus proprium praescriptione temporis non revocentur, dummodo pateat Ecclesiae rem fuisse. Caus. 16. q. 3. can. 11.

Episcopus contra Episcopum locum per se controversum ad fidem praescribit triennio; sed cum vacat Ecclesia, vel est in Schismate, non praescribitur contra ipsam. L. 2. T. 26. c. 1.

Per quietam triginta annorum possessionem praescribit Ecclesia rem privati. L. 2. T. 26. c. 3.

Quarta decimarum, et funeralium praescribitur contra Episcopum, si 40 annorum spatio non solvatur. *ibid.* c. 4.

Una Ecclesia in Parochia alterius 40 annorum spatio decimas praescribit. *ibid.* c. 6.

Fines praediorum ecclesiasticorum 40 annorum spatio praescribuntur. *ibid.* c. 9.

Contra Romanam Ecclesiam centum annorum praescriptio valet. *ibid.* c. 13. et 15.

Malae fidei possessor non praescribit. L. 2. T. 26. c. 5.

In praescriptionibus sufficit bona fides, ubi jus commune, vel praesumptio non est contra praescribentem, alias debet allegari titulus, et probari, nisi sit praescriptio superans memoriam. Sext. L. 2. T. 13. c. 1.

In apprehendendis, vel occupandis bonis nullus ipsis Ecclesiis temporis lapsus obsistat; nisi contra Romanam Ecclesiam centenaria, vel contra Ecclesias alias quadragenaria praescriptio sit legitime completa. Sext. L. 2. T. 13. c. 2.

De praescriptione vide in Corpore Juris Caus. 16. *questionis* 3. *omnes fere Canones.*

PRAESENTA.

Collatio beneficii facta indigno occulta cassari debet, et conferens secundo ante cassationem primae collationis privari debet ea vice potestate conferendi. L. 5. T. 31. cap. 11.

Electus ante confirmationem non potest administrare; etsi contra fecerit, ipso jure privatur jure ex electione quaesito. Sext. L. 1. T. 6. c. 5.

Eligentes quam cito commode possunt electionem electo praesentent. Electus intra mensem consentiat, alias privatus est jure quaesito; post consensum confirmationem petat intra tres menses, alias electio viribus vacuetur. Sext. L. 1. T. 6. c. 6.

Praesentari ad beneficium potest etiam non constitutus in Sacris Ordinibus, dummodo idoneus sit, et intra tempus a jure requisitum ad Ordinem promovendus. Sext. L. 3. T. 6. c. 2.

Ceterum vide: *Electio.*

PRAESUMPTIO.

Vide: *Suspitio.*

PRIMATUS.

Primatum Romanae Ecclesiae non aliqua synodus, sed Christus instituit. Dist. 21. can. 3. Dist. 22. can. 1. et 2.

PRIVILEGIUM.

Privilegia Ecclesiarum, et Monasteriorum nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. Caus. 26. q. 2. can. 1. et seq.

Privilegio generali obstat Rescriptum speciale etiam de eo mentionem non faciens. L. 1. T. 3. c. 1.

PROBATIO.

Reus actori sua propria Instrumenta dare non tenetur, prout nec actor qui probat non tenetur jurare. L. 2. T. 19. c. 1. et seq.

Si actor et reus aequaliter probant, reus est absolvendus. *ib.* c. 3. Si vero actor, et reus in interdicto retinendae possessionis probant, obtinet is, qui antiquiorem possessionem probat. *ib.* c. 9.

Si probari potest reum deliquisse, ejus probatio quod non deliquerit, non est admittenda. L. 2. T. 19. c. 12.

Si testes partium contraria deponunt, fidem sibi non derogant, sed praevalent digniores, et vero similiora deponentes, et si in ceteris est disparitas, praefertur numerus. L. 2. T. 20. c. 32.

Post publicationem ad petitionem producentis interrogari non debent testes, nisi quando dolo, vel negligentia interrogati non fuerunt. L. 2. T. 20. c. 48.

Vide : *Instrumentum.*

PROCESSUS.

Si reus malitiose semet occultat, ne ad eum Citatio pervenire possit, tum etiam lite non contestata, ad definitivam sententiam proceditur. L. 2. T. 6. c. 5.

In causis diversi generis, imo et in Matri-

monialibus procedi potest simpliciter, ac sine strepitu judicii, et figura. Clem. L. 2. T. 1. c. 2.

Causae omnes ad Forum ecclesiasticum spectantes prius in prima Instantia coram Ordinariis locorum cognoscantur, atque infra biennium a die motae litis terminentur; neque appellata admittatur nisi a definitiva, vel vim definitivae habente sententia; ideo Causae matrimoniales per Episcopum, et jurisdictionem tractentur. Conc. Trid. Sess. 24. c. 20.

PROCURATOR.

Laicus potest esse Procurator ad agendum vel defendendum in Causis Spiritualibus. Sext. L. 1. T. 19. c. 1.

Procurator datus ad negotia potest quandocunque alium deputare.. *ibid.* c. 2.

Procurator habens mandatum substituendi, substitutum a se post mandatum susceptum, etiamsi eo usus non fuerit, revocare non potest. *ib.* c. 3.

Procurator ad contrahendum matrimonium debet habere speciale mandatum, et talis Procurator non substituit. Si talis Procurator revocatus etiam ignoranter contrahit, non tenet matrimonium. *ibid.* c. 9.

Major 14. annis per se pro se, vel per Procoratorem agere potest, minor nequaquam. Sext. L. 2. T. 1. c. 3.

Vide: *Advocatus.*

PRODITOR.

Proditor Clericus ab officio deponatur. Dist. 46. c. 3.

PROTESTATIO.

Non appellans, si protestatus fuerit, habetur pro appellante. L. 2. T. 28. c. 73.

PROVISIO.

In patibulo suspendendi, si poenitentiam egerint, communione non privantur. Caus. 13. q. 2. can. 30.

Vide: *Confessio. Eucharistia. Clericus.*

PURGATIO.

Diaconus si de crimine convinci non poterit, apud Episcopum se ipsum secreto purificet. Caus. 15. q. 5. can. 1.

Si suspectus quis de eo fuerit, quod veritatem confessus non sit, ad purgationem coram Episcopo debet compelli. L. 1. T. 31. c. 5.

Vide: *Accusatus. Juramentum.*

RAPTUS.

Raptores sunt infames. Caus. 6. q. 1 c. 17.

Rapta puella sponso suo reddi debet, et si ad sponsum redire, raptoremque deserere nollet, communione privetur. Caus. 27. q. 2. can. 46. et seq.

Ibi raptus commissus est, ubi puella, de cujus ante nuptiis nihil actum fuerat, videbitur abducta. Caus. 36. q. 1. can. 2.

Qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi, aut cooperantes, aut conniventes raptoribus, si Clerici sunt, decidant proprio gradu. Caus. 36. q. 2. c. 1.

Qui rapiunt, aut furantur, aut seducunt puellas, eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniat, aut eas dotaverint, vel cum consensu Parentum acceperint. Caus. 36. q. 2. c. 11.

Manifesti raptoris in sepultura Clerici adesse prohibentur. L. 5. T. 17. c. 2.

Rapta cum raptore legitime contrahet, si consensus accedat, dummodo ad contrahendum legitimae sunt personae. *ib.* c. 17.

Inter raptorem et raptam nullum est matrimonium, si tamen rapta tuto loco reddita consenserit, attunc matrimonium valet, attamen raptor ipse, et omnes ei secundantes excommunicandi sunt, et perpetuo infames, praeterea raptor raptam decenter dotare tenetur. Conc. Trid. Sess. 24. c. 6.

RELIQUIAE.

Reliquiae Sanctorum vendi non possunt, vel passim ostendi non debent ne circa illas populus decipi possit. L. 3. T. 45. c. 2.

RENUNCIATIO.

Beneficiatus sine licentia Praelati sui beneficio renunciare non potest, si tamen renunciavit, illud repetere non potest jure, nisi denuo eligatur. L. 1. T. 9. c. 2. et seq.

Episcopi, aut alii beneficiati ex sequentibus causis possunt petere cedendi licentiam:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere
possit. L. 1. T. 9. c. 10.

Qui cedendi licentiam petiit, eamque obtinuit, cedere compellitur. L. 1. T. 9. c. 12.

RESCRIPTUM.

Quae rationabiliter ordinata fuerunt, vel decisa nulla imposterum debent reparatione turbari. Caus. 35. q. 9. can. 1.

Privilegio generali secundum jus commune obtento obstat Rescriptum speciale, etiam de eo mentionem non faciens. L. 1. T. 3. c. 1.

In Rescripto Apostolico subintelligitur clausula: si preces veritate nitantur" *ib.* c. 2. 5. et 20.

Falsa latinitas vitiat Rescriptum. *ib.* c. 11.

RESIDENTIA.

Episcopus, et Clericus quilibet Ecclesiam suam relinquere non potest, secus ad Monasterium praecludendus est. Caus. 7. q. 1. can. 19. et seq.

Diaconus, vel Presbyter si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit, per triennium suspendatur. *ibid.* c. 29.

Qui alienam Cathedram majorem, contemptu minoris appetit, utraque careat. *ibid.* c. 31. et seq.

Clericus praesentatus, et confirmatus ex non justa causa in Ecclesia sua non residens privatur; appellatione remota. L. 3. T. 14. c. 4. et seq.

RESTITUTIO.

Omnes leges praecipiunt, ut omnia sibi ablata restituantur ei, qui suis est rebus exspoliatus. Caus. 2. q. 2. c. 2.

Nullus dum suis rebus fuerit exspoliatus, debet accusari, aut a quoquam potest ei crimen objici, priusquam integerrime restituatur. Caus. 2. q. 2. can. 3. et Caus. 3. q. 1. can. 1.

Praeceptum ergo est suis rebus exspoliatos primo omnia sua reddi, et demum siquis eos juste accusare voluerit, aequo periculo facere, nec prius eos respondere debere, quam omnia sua eis restituantur. Caus. 2. q. 2. can. 6.

Siquid male de rebus Ecclesiae dilapidavit, illud reformare, ac satisfacere modis omnibus compellatur. Caus. 2. q. 7. can. 44.

Uxor a viro absque causa dimissa prius ad omnia restituatur, et ita judicium celebretur in ejus causa. Caus. 33. q. 2. can. 3. et seq.

Spoliatione in modum exceptionis tantum probata, non est per hoc restitutio facienda. L. 2. T. 10. c. 2.

Restitutionis petitio in hoc privilegiata noscitur, ut ipsam intentans non cogatur ante restitutionem spoliatoribus respondere. *ib.* c. 4.

Petens restitutionem beneficii non auditur, si sponte resignavit, nisi spoliatus fuisset, tunc enim restitui debet. L. 2. T. 13. c. 1. et seq.

Spoliatus etiam a Judice juris ordine praetermisso, ante omnia restituatur. *ib.* c. 7.

Violentus rem cum fructibus, etiam qui percipi potuissent, restituere, damna resarcire, et de injuriis satisfacere compellitur. L. 2. T. 13. c. 11.

SACRAMENTUM.

Hominum malitia Sacramenta non profanat. Caus. 1. q. 1. c. 37. 38.

Non merita Sacerdotum, sed virtus divina Sacramenta sanctificat. *ib.* c. 84. et seq.

In sacramentorum administratione siquid omissum fuisset, non est iterandum sed caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum. L. 1. T. 16. c. 1. et 3.

Vide: *Eucharistia. Missa. Provisio.*

SACRATUM TEMPUS.

Vide: *Jejunium.*

SACRIFICIUM.

Vide: *Missa. Eucharistia.*

SACRILEGIUM.

Sacrilegi sunt infames. Caus. 6. q. 1. c. 17.

Secrilegi sunt, qui res sacras e templis surripiunt, ut eas convertant ad profanos usus. Sept. L. 5. T. 6.

SAEVITIES.

In causa saevitiei etiam domestica familia in testimonium adhibetur. Dist. 1. de Poenit. can. 2.

Si vir mulierem capitali odio persequitur,

alicui probatae, et honestae mulieri usque ad Causae decisionem committatur. L. 2. T. 13. c. 8.

Si tanta sit viri saevitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, tunc mulier sufficienti securitate, (*Vitalitio*) provisa, a viro amoveri debet. *ib.* c. 13.

SCHISMA.

Irritae sunt Ordinationes, beneficiorum collationes per Schismaticos factae. Ordinatus a Schismatico ab officio est repellendus. L. 5. T. 8. c 1. et seq.

Vidae: *Haeresis*

SEDE VACANTE.

Nihil innovetur. Extr. Joan. T. 5. c. un. et Extr. com. L. 2. T. 3. c. un.

Capitulum sub poena interdicti ecclesiastici, a die vacationis per annum nemini ordinandi licentiam, aut dimissionem concedere, vel receptionem facere potest, (praeter necessitatem) Conc. Trid. Ses. 7. c. 10. 12.

Capitulum intra octo dies Vicarium idoneum eligat, denominato vero novo Episcopo rationes reddere tenetur. *ibid.* Ses. 24. c. 16.

SEDITIO.

In seditiosis etiam sine eventu animi propositum punitur ob id solum, quod armati processerint. Dist. 1. de Poenit. can. 19.

SENTENTIA.

Sententia quae sine scripto dicta est, ne nomen quidem Sententiae habere meretur. Caus. 2. q. 1. can. 7. et 8.

Absente alia parte Sententia a Judice dicta nullam obtineat firmitatem. Caus. 3. q. 9. can. 11.

Sententiam Papae nemini licet retractare. Caus. 17. q. 4. can. 30.

Non valet Sententia contra absentem lata ex probabili causa excusatum. L. 1. T. 38. c. 2. prout Sententia lata cum Procuratore revocato, et de hoc certificato non praejudicat Domino. *ib.* c. 3.

Romanae Sedis Sententia non negatur posse in melius commutari, cum aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione aetatum, et temporum, seu gravium necessitatum dispensative quidquam ordinare decreverit. L. 1. T. 41. c. 5.

Sententia a non suo Judice lata non tenet. L. 2. T. 1. c. 4.

Si Sententia ad dictum corruptorum Testium lata est, retractanda veniet. L. 2. T. 20. c. 9.

Sententia contra leges lata ipso jure nulla est. L. 2. T. 27. c. 1.

Sententia abit in rem judicatam si intra 10 dies ab ea non fit appellatio. *ib.* c. 13.

Duobus Judicibus diversas Sententias proferentibus, si ex jurisdictione ordinaria processerunt, tenet pro reo, et non pro actore Sententia, nisi in causa favorabili, uti matrimonio — delegata Sententia pendet ex arbitrio delegantis. —

Ex compromisso vero neutra habet vigorem. L. 2. T. 27. cap. 26.

Sententia lata per falsas literas non debet executioni mandari. L. 5. T. 20. c. 2.

Etsi Sententia definitiva a judice debeat e scripto recitatione proferri, (alias nec nomen Sententiae meretur, nec ab ea appellare est necesse) Episcopo tamen licebit Sententiam per alium recitare. Sententia porro debet scripto edi, et a Judice sedendo proferri. Sext. L. 2. T. 14. c. 5.

Vide: *Executio*

SEPULTURA

In sepulchro Parentum suorum filii sunt collocandi. Caus. 13. q. 2. c. 2. et seq.

Unaquaeque mulier sequatur virum suum sive in vita, sive in morte. *ibid.* can. 3.

Prohibendum est, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in exhedris Ecclesiae, intra vero, et prope altare nullatenus sepeliantur. *ibid.* can. 15.

Nullus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut Presbyteri. *ibid.* c. 18.

Qui sepeliunt Parochianum alienum, coguntur restituere, quae ratione ipsius obtinuerunt. L. 3. T. 28. c. 5. *Intellige in Parochia aliena.*

Ecclesiastica sepultura negatur manifestis raptoribus, Ecclesiarum violatoribus, si non restituant. L. 5. T. 17. c. 2.

Monachi habentes liberam sepulturam, si paciscuntur de non recipiendis certis Parochianis

Ecclesiae alicujus, servare compelluntur pactum, nec illos sepelire poterunt, licet apud eos elegerint sepeliri. Sext. L. 1. T. 18. c. 1.

In loco etiam minus religioso potest nova eligi sepultura. Sext. L. 3. T. 12. c. 2.

Quamvis filius familias absque Patris assensu sibi possit libere exigere sepulturam, pro anima sua tamen praeter ipsius assensum (nisi peculium castrense, aut quasi castrense habeat) aliquid judicare non potest. *ib.* c. 4.

SEQUESTRUM.

Ab eo, quia sententia provocavit (appellavit) fructus possessionis (si dissipentur ab ipso) possunt etiam lite pendente rationabiliter sequestrari. L. 2. T. 17. c. 3.

Lite pendente fructus, et distributiones Ecclesiasticorum fidei sequestro debent deponi. Sept. L. 2. T. 7. c. 1. et seq.

SIMONIA.

Siquis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus pecuniae interventu hanc dignitatem nactus fuerit, deponitor tam ipse, quam qui eum ordinavit. Can. Apost. 28. et 29.

Spolietur honore, qui Ecclesiam per pecuniam obtinet. Caus. 1. q. 1. can. 3. 4., quia simoniacus fidei integritatem non habet. *ibid.* c. 19. et infidelis est. c. 20.

Non potest fieri eleemosyna ex pecunia simoniace aquisita. *ibid.* c. 27.

Simoniacis in dignitate servanda nulla est imponenda misericordia. *ib.* c. 110. et seq.

Ab officio suspendatur Episcopus beneficia, vel ecclesiastica officia vendens. Caus. 1. q. 3. can. 1. et seq., item q. 6. can. 1. et seq.

Dejiciatur a Clero, qui muneribus Ecclesiam aquirere tentat. Caus. 7. q. 1. can. 33. et L. 2. T. 18. c. 2. item L. 5. T. 3. c. 6.

Super ecclesiastico beneficio transigi non potest, etiam cum juramenti interpositione, talis igitur transactio revocatur. L. 1. T. 36. c. 5. et seq.

Pro Ordinatione aliquid dari prohibetur, et qui per pecuniam aliquem ejecit de Ecclesia, se intrudendo, deponendus est; imo et pendente accusatione ab administratione divinorum prohibetur. L. 5. T. 3. c. 1. et seq.

Quilibet catholicus admittitur ad accusandum de crimine simoniae, et servus, meretrix, et criminosus. L. 5. T. 3. c. 3. et 7.

Simoniacum est pro temporali obsequio beneficium ecclesiasticum promittere, sicut et pretio, vel favore celare peccantem. L. 5. T. 3. c. 12. et 14.

Poena in simoniacos sancita legatur, in corpore Juris. Sept. L. 5. T. 11. c. 3.

Capitula quae simoniace recipiunt, suspensionis sententiam incurrunt. Extr. Com. L. 5. T. 1. c. 1.

SORTILEGIUM.

Sortilegiá prohibentur, et clericus sortilegus suspenditur ad tempus. L. 5. T. 21. c. 1. et seq.

SPOLIATIO.

Vide : *Restitutio.*

SPONSALIA.

Frater sponsam fratris etiam non cognitam ducere non potest. Caus. 27. q. 2. can. 11. et seq.

Sic se habet res Joannis, ut velit secundam filiam illi nuptiis copulare, cui primam jam decreverat desponsare ; hoc absque illius vitio posse fieri, si utriusque partis sederit voluntati. Caus. 27. q. 2. can. 22.

Desponsata puella non prohibetur Monasterium eligere. *ibid.* cān. 27. 28. alteri tamen viro desponsari, et tradi nequit. *ibid.*

Qui dormierit cum duabus sororibus, et una ex illis antea uxor fuerit, neutram ex ipsis habeat, nec ipsi adulteri unquam in conjugio copulentur. Caus. 27. q. 2. can. 30.

Siquis mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere, si vero duxerit aliam, illam quidem retinebit, debet tamen poenitentiam agere de fide mentita. *ibid.* can. 51.

Si fratris impotentis uxorem frater potens gravidam effecerit, quamvis haec nupta esse non potuit legitimo viro, desponsatam tamen fratri frater habere non potest. Caus. 27. q. 2. c. 31.

Si Sponsus raptam recipere noluerit, liceat sibi alteri nubere. *ib.* c. 33.

Rapta reddatur sponso. *ib* can. 46.

Puellam desponsatam alter accipere non potest. *ib.* can. 50.

In primis negotiis annulus a Sponso Sponsae datur propter mutuae fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde et quarto digito annulus idem inseritur, quod in eo vena quaedam, ut fertur, sangvinis ad cor usque perveniat. Caus. 30. q. 5. can. 7.

Juramento Patris non cogitur puella nubere, cui nunquam assensum adhibuit. Caus. 31. q. 2. can. 1.

Si Parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant a communione. Caus. 31. q. 3. can. 1.

Qui juravit cum muliere contrahere, propter successivam fornicationem, vel deformitatem eam repellere potest, sed propter praecedentem non. L. 2. T. 24. c. 25.

Sponsalia de futuro dissolvuntur, si sponsi se dissolvant, etiamsi fuerint jurata. L. 4. T. 1. c. 2.

E sponsalibus contractis cum consangvinea oritur publicae honestatis justitia. *ibid.* c. 4.

Qui praestito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, et postea eis incognitis ad alias partes disparent, liberum erit mulieribus illis, (si non amplius in facto est processum) ad alia se vota transferre. *ibid.* c. 5.

Inter sponsam, et consangvineos sponsi oritur impedimentum publicae honestatis impediens, et dirrimens matrimonium inter eos contrahendum. L. 4. T. 1. cap. 8.

Qui juravit cum aliqua contrahere, si non

subest impedimentum, per censuram ecclesiasticam contrahere compellitur. L. 4. T. 1. c. 10.

Dictum unius asserentis impedimentum impedit matrimonium contrahendum non juratum. *ibid.* c. 12.

Contrahentium animus est indagandus, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit. *ib.* c. 14.

Sponsalia de futuro, si secuta est copula, non solvuntur per sponsalia de praesenti; — alias tenent sponsalia de praesenti, nisi per metum contracta sunt. *ib.* c. 15.

Qui juravit cum aliqua contrahere, moneri potius debet, quam compelli, ut contrahat. *ib.* c. 17.

Sponsalia de futuro etiam jurata solvuntur per secunda sponsalia de praesenti, non autem per secunda de futuro. L. 4. T. 1. can. 22.

In matrimoniis, et sponsalibus debet esse libertas, unde in eis promissio poenae non obligat. *ibid.* c. 29.

Sponsalia de futuro transeunt in matrimonium per carnalem copulam subsecutam. *ibid.* c. 30.

Sponsalia de praesenti non solvuntur per sequens matrimonium, etiam carnali copula consumatum, sed sponsalia de futuro etiam jurata solvuntur per sequentia de praesenti. L. 4. T. 1. c. 31. 32.

Sponsalia ex defectu consensus non creant publicae honestatis justitiam; secus ex sponsalibus consentienter etiam cum impubere majore septennio contractis oritur. L. 4. T. 2. c. 5. et 6.

Siquis clam desponsavit, et mulier vel vir negat hujusmodi desponsationem, viro incumbit probatio. L. 4. T. 3. c. 1.

Qui juravit aliquam in uxorem accipere si centum sibi donaverit, centum non datis, recipere non tenetur, nisi postea pure consenserit, vel eam cognoverit. L. 4. T. 5. cap. 3.

Qui sub honesta conditione sponsalia contrahit, et ante conditionis eventum desponsatam cognoscit, a conditione recedit. *ibid.* c. 6.

Si in contractu matrimonii apponitur conditio turpis, vel impossibilis, habetur pro non adjecta, nisi sit contra substantiam matrimonii, quia tunc vitiat contractum. *ibid.* c. 7.

Lepra post sponsalia superveniente, sponsalia de futuro non obligant. L. 4. T. 8. c. 3.

Invita desponsata, postea sponte cognita contra matrimonium non auditur. L. 4. T. 18. c. 4.

Sponsalia pura, et certa ex consensu valida, licet alias nulla, inducunt publicam honestatem, quae valet dirimere sequentia sponsalia, sed non praecedentia. Publicam tamen honestatem non inducunt sponsalia conditionata ante conditionis eventum. Sext. L. 4. T. 1. cap. unic.

Ex sponsalibus quae Parentes pro filiis contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, nec contradixerint, obligantur, et ex eis oritur justitia publicae honestatis. Sext. L. 4. T. 2. cap. un.

Sponsalia impuberum per majorem aetatem non validantur, nec publicam honestatem inducunt. Sext. L. 4. T. 2. c. unic.

STATUTUM.

Canonum statuta custodiantur ab omnibus. *Ita et Episcopalia, vel Dioecesana*, et nemo in actionibus, vel judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur. L. 1. T. 2. c. 1.

Ne innitaris prudentiae tuae, prudentiae suae innititur, qui ea, quae sibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum decretis praeponit. L. 1. T. 2. c. 5.

Absque rationabili causa non potest major pars Capituli tollere consvetudinem, utilitatem privatam nutriendo. *ibid.* c. 6.

Constitutio respicit futura, et non praeterita, nisi in ea de praeteritis caveatur. L. 1. T. 2. c. 13.

Capitulum sine consensu Episcopi nova statuta facere, vel antiqua immutare non potest. L. 1. T. 4. c. 9.

Nova constitutio tollit primam contrariam, quamvis id non exprimat; Speciales tamen consvetudines, et statuta rationabilia non tollit. Sext. L. 1. T. 2. c. 1.

Statuta non ligant probabiliter ignorantes, neque extra Dioecesim sitos. *ibid.* c. 2.

STUPRUM.

Vide: *Adulterium.*

SUBORDINATIO.

Inferiorum facta superiorum sententiis obnoxia sunt. Dist. 21. can. 4. et seq.

Majores a minoribus judicari non possunt. *ibid.* c. 8. et 9.

Minores majoribus obedientiam exhibeant. Dist. 93. c. 5.

Vide: *Contumacia.*

SUSPENSIO.

Nullum Clericum, qui nondum convictus est, suspendi a communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non praesentaverint. Caus. 2. q. 1. c. 12.

Qui per annum in suspensione stetit, privatur beneficio quod prius habebat, et quod interim aquisivit. L. 1. T. 14. c. 8.

Praelatus subdiaconum, (vel in majori gradu positum) suspendere non debet nisi monitione praemissa, nisi forte talis sit culpa, quae ipso suo genere suspensionis poenam inducat. L. 2. T. 28. c. 26.

SUSPICIO.

Nullum suspitionis arbitrio judicetis, sed prius probate, et postea. etc. Caus. 2. q. 2. can. 12. et 18.

Pessimum est de suspicione, aut extorta confessione quempiam judicare. Caus. 15. q. 6. c. 1.

Si eos suspectos habueris, quod confessi non fuerint veritatem, ipsos compellere debes exinde coram te, quod veritatem confessi fuerint purgationem praestare. L. 1. T. 31. c. 5.

Episcopus qua Judex si ut suspectus recu-

satus fuerit, potest dare delegatum Judicem. L. 2. T. 2. c. 4.

Ex violenta praesumptione fertur definitiva. L. 2. T. 23. c. 1. in gravi tamen crimine non debet quis condemnari. *ibid.* c. 14.

Conversatio in adolescentia facit praesumptionem in senectute. L. 2. T. 23. c. 3. 6. et 15.

Ex violenta et certa suspitione fornicationis potest Sententia Divortii promulgari. *ibid.* c. 12.

SYNODUS.

Legatum pro se mittat ad synodum, quem gravis necessitas premit. Caus. 5. q. 3. c. 1.

TESTAMENTUM.

Episcopus tuitionem Testamentorum non suscipiat. Dist. 88. can. 5.

Episcopo et Presbytero intestato Ecclesia succedat. Caus. 12. q. 5. can. 6. et 7.

Ultima voluntas defuncti servari debet. Caus. 13. q. 2. c. 4.

Qui oblata Ecclesiis, aut Testamento relicta retinere praesumserit, excommunicetur. Caus. 13. q. 2. c. 11.

Piae vivorum; aut defunctorum voluntates tua remissione ne cassentur. — Testatoris servandum est arbitrium. Caus. 16. q. 1. can. 14. et seq.

Non debet Ecclesia suscipere, quae filio exhaereditato sibi offeruntur. Caus. 17. q. 4. can. 43.

Si intra annum a die monitionis non fit executio Testamenti per debentem exequi, devolvitur executio ad Episcopum. L. 3. T. 26. c. 3.

Debetur legatum quamvis nudis verbis a Testatore sit relictum. *Testamentum nuncupatorium. ibid.* c. 4.

Si haeredes jussa Testatoris non adimpleverint, ab Episcopo loci illius omnis res quae eis relicta est, canonice interdicatur cum fructibus, et ceteris emolumentis, ut vota defuncti adimpleantur. *ibid.* c. 6.

Valet ultima voluntas ad pias causas coram duodus testibus. L. 3. T. 26. c. 11.

Episcopus compellit executores Testamenti ad exequendas pias voluntates defunctorum, etiamsi testator hoc interdixisset. *ibid.* c. 17.

Executores post mandatum susceptum per Dioecesanum cogi debent testatoris explere ultimam voluntatem. L. 3. T. 26. c. 19.

Religiosus non potest fieri Testamenti executor. — Si plures sint executores, et aliis mortuis, vel nolentibus, unus poterit exequi. Sext. L. 3. T. 11. c. 2.

Ceterum vide Librum: *Extractus benignarum Resolutionum Regiarum, quoad effectus Civiles.*

TESTIS.

Si forte mulier marito mortis insidias parasse, vel voluntatem occidendi habuisse inveniatur, vel si forte maritus eodem modo insectetur uxorem, in eadem quaestione ab omni familia non solum mariti, sed etiam uxoris quaerendum est. Dist. 1. can. 2. de Poenit.

Qui ob denunciandum, vel non denuncian-

dum testimonium pecuniam acceperit, lege Julia damnatus, testimonium publice dicere, aut Judex esse, postulareve prohibetur. Caus. 1. q. 1. can. 130.

Quaerendum est: an testimonium jure jurando dictum sit; — et de personis accusantium quaerendum: cujus vitae, conditionis, opinionis, aut ne inopes patrimonii sint, aut ne forte aliquas inimicitias habuissent, et utrum testimonium ex auditu dixerunt. Caus. 2. q. 1. can. 7.

Testes viles nullius momenti sunt, et his sine corporali discussione credi non debet. Caus. 2. q. 1. cap. 7.

Servi ut testes audiri non debent. *ibid.*

De manifesta, et nota pluribus causa non sunt quaerendi testes. Caus. 2. q. 1. can. 15. et 17.

Si mala fama de Presbytero exierit, et accusatores, ac testes legales defuerint, sacramento famam suam purget. Caus. 2. q. 4. can. 16. et 6.

Si Sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit, ut recipi debeat, ille accusator, qui canonice recipiendus est, cum legitimo numero verorum, et bonorum testium approbare poterit. Caus. 2. q. 4. can. 19.

Testes et accusatores sine aliqua infamia sint. Caus. 2. q. 5. can. 2.

Si homo antea deprehensus fuerit in furto, aut perjurio, aut falso testimonio, ad juramentum non admittitur. Caus. 2. q. 4. c. 15.

Viles personae in accusatione Sacerdotum ne recipiantur. Caus. 2. q. 7. c. 18.

Quaerendum est in judicio cujus sit conversationis, et fidei is, qui accusat, et is, qui accusatur; quoniam hi, qui non sunt rectae conversationis, et quorum vita est accusabilis, et quorum vita nescitur, non permittuntur majores natu accusare. Caus. 2. q. 7. can. 18.

Judaei ad testimonium dicendum admitti non debent. *ibid.* c. 24.

Si orthodoxus contra haereticum litiget, pro orthodoxo quidem etiam haeretici testimonium valet, contra orthodoxum vero solius Orthodoxi. *ib.* can. 26.

Testes absque ulla infamia, aut suspicione, vel manifesta macula instructi esse debent. Caus. 2. q. 7. can. 39.

Suspectos, aut inimicos, et eos qui non sunt bonae conversationis, aut quorum vita est accusabilis, accusatores, et testes esse antecessores prohibuerunt. Caus. 3. q. 5. can. 4.

Consangvinei accusatoris, vel familiares, vel de domo prodeuntes adversus extrâneos testimonium ne dicant. Caus. 3. q. 5. can. 1. et 3.

Inimici testes esse nequeunt. *ib.* c. 2.

Non est credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus implicantur, nisi prius probaverint se innocentes; quia periculosa est, et admitti non debet rei adversus quemcunque professio. Caus. 3. q. 11. can. 3.

Testes non de aliis causis, vel negotiis dicant testimonium, nisi de his, quae sub praesentia eorum acta esse noscuntur. Caus. 3. q. 9. c. 15.

Testis dum aliquid ad seriem gestorum ex suo adjicit, totam testimonii fidem partis mendacio decolorat. *ib.* c. 17.

Puniendi sunt testes, qui ad calumniam aliquid testificantur. *ibid.* c. 16.

Testibus tunc credendum est; si dicant, quod naturae negotii convenit, et quod suspicione caret. In testibus fides, dignitas, mores, et gravitas examinanda est; et ideo testes, qui adversus fidem vacillant, audiendi non sunt; exploranda eorum conditio, imprimis ne lucri causa testimonium faciat; — non sunt adhibendi in testes impubes, publico judicio damnati, Judaei, cognati, et quibus imperari potest, item testes de domo, Parentes, et liberi adversum se, servi nec pro nec adversum Dominum. — Testes prius adjurentur. — Unius testis declaratio vim non obtinet. — Liberti adversus Patronos non procedant. Caus. 4. q. 2. 3. can. 3. et seq.

Ad testimonium dicendum pretio non conducantur, et quique optimi, et fideliores in testimonium assumantur, ut is, contra quem testimonium ferre debent, nullam eis adferre possit calumniam. *ibid.* c. 2.

Ad testimonium admittendi non sunt, quos ipse accusator de domo sua produxerit, item testes infra 14 aetatis annos esse non possunt. *ib.* c. 1.

Suspicionis in crimen incidet Judex, de cujus domo testis producitur. Caus. 4. q. 4. can. 3.

Quaestionem de servis contra Dominos haberi non oportet, exceptis adulterii criminibus,

item fraudati census et crimine laesae Majestatis. In ceteris autem, si aliis quoque probationibus fides veritatis investigetur, praescriptionis invidia evanescit. In pecuniariis vero causis servos contra Dominos posse interrogari. Caus. 12. q. 2. c. 59.

Clerici pro sua Ecclesia testimonium facere possunt. Caus. 14. q. 2. c. 1. et L. 2. T. 20. c. 12.

Clericus pro teste non statuatur, si tamen rei notitiam habet. permittente Episcopo, honorifice testetur. *ibid.* c. 2.

Qui pejeravit, ex hoc testis esse nequit. Caus. 22. q. 5. c. 14.

Falsi testes communione priventur. Caus. 24. q. 3. c. 20.

Nulla lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel justificat; quanto magis per scelestum testem debet quis condemnari. Caus. 33. q. 2. c. 8.

Testes lite non contestata recipiendi non sunt nisi forte senes, et valetudinarii. — excepto si reus malitiose se occultat, tunc enim ad definitivam sententiam procedi potest. L. 2. T. 6. c. 5.

Si testi per reum crimen quodpiam civiliter probatum objicitur, non ei ideo poena infligitur, sed testimonio ejus non creditur. L. 2. T. 10. c. 2.

Cum quis se dicit violenter de possessorio ejectum, et adversarius ei crimen objicit, non debet ejus objectio admitti, quia praesumitur esse inimicus. L. 2. T. 13. c. 6.

Testes fideles non pretio conducti adhibeantur. L. 2. T. 20. c. 1.

Contra Clericum mulieres, cum quibus peregisse dicitur, testimonium dare possunt. L. 2. T. 20. c. 3. quamvis ad testimonium unius testis sententia ferri non possit, neque testimonium participis valeat. *ibid.* c. 10. et 20.

Testes de familia actoris non sunt idonei. L. 2. T. 20. c. 24.

Non creditur testi etiam religioso, qui sine juramento deponit. *ibid.* c. 51.

De crimine accusatus testis esse nequit. *ibid.* c. 56.

Testes non cogendi, sed monendi sunt ad ferendum testimonium veritatis, nisi forte timore adversae partis constiterit Judici eos a ferendo testimonio revocari. L. 2. T. 21. c. 1. cogendi item sunt, cum de fama, vel vitio falsitatis inquiritur. *ibid.* c. 8.

Si testis de crimine convincitur, vel alias convictus apparet, repellitur a testimonio, sed de crimine non punitur, si non tangit negotium principale. L. 2. T. 25. c. 1.

Lite etiam non contestata, testes valetudinarii ad testimonium adhibentur. L. 2. T. 30. c. 4.

Testes qui de consangvinitate deponunt, computationem debent a stipite incipere, et gradus nominibus propriis designare. L. 4. T. 14. c. 7.

Accusatio, et testimonium in causa matrimoniali personaliter, et non per litteras fieri debet. L. 4. T. 18. c. 2.

In Causa matrimoniali testificari possunt etiam cognati, et Parentes. *ibid.* c. 3.

Repellitur ab accusatione matrimonii, qui denunciationis tempore tacuit. *ibid.* c. 6.

Testes quos pars duxerit producendos ad reprobandos testes partis alterius in causa principali productos examines diligenter; primo tamen in personam cujuslibet testis singillative; — Si vero pars adversa aliquos testes coram te produxerit contra testes, recipere, et eos diligenter examinare procures. Sext. L. 2. T. 10. c. 2.

Publicatis attestationibus, testes produci non possunt (etiam in causa appellationis) super iisdem articulis, vel directe contrariis. Clem. L. 2. T. 8. c. 2.

THEATRUM.

Immane peccatum est res suas donare histrionibus. Dist. 86. c. 7.

TRANSACTIO.

Census absque Episcopi auctoritate, qui praeest Ecclesiae, per Ecclesiam solvi non potest, potest tamen per Praelatum (*Parochum*) L. 1. T. 36. c. 5.

USURA.

Usurae, et foeneratio Clericis, sub depositionis poena prohibentur. Dist. 16. can. 9. et Dist. 47. can. 1. item Sext. L. 5. T. 5. c. 1.

Nullus constitutus in Clero usurae genus exercere praesumat sub poena suspensionis. L. 5. T.

19. c. 1. et etiam pro opere pio non licet usuras recipere *ibidem*. Cap. 4. et 7.

Repetens usuras non audiatur, nisi restituat extortas per se. *ibid.* c. 17.

Alii pro foenerata pecunia solent munuscula recipere, et non intelligunt usuram appellari. — Et esca usura est, et vestis usura est, et omne usura est etc. Caus. 14. q. 3. can. 2. item. q. 4. can. 3.

Qui emunt levius, ut vendant carius, turpe lucrum dicitur. Caus. 14. q. 4. c. 9.

Si clericus pro impensis patrociniis munera acceptat, velut exactor foenoris tractatur. Caus. 15. q. 2. can. 1.

VENEFICIUM.

Venefici sunt infames. Caus. 6. q. 1. can. 17.

VESTITUS.

Vestitus clericalis sit modestus. Dist. 23. can. 3. Dist. 41. can. 5. 8.

Omnis jactantia, et ornatura a sacrato ordine aliena sit. Eos ergo, qui se fulgidis, et claris vestibus ornant, emendari oportet, similiter et eos, qui ungventis inunguntur, sed neque ex sericis texturis vestem quis variatam olim induebat. Caus. 21. q. 4. can. 1.

Nullus clericus vestimentum indecens habeat, sive in Civitate degens, sive in itinere ambulans, sed stolis utatur, quae concessae sunt Clericis. *ib.* c. 2.

Episcopi Presbyteri, Diaconi secularibus indumentis non utantur. *ibid.* c. 3.

Clerici in statu mentis, in habitu corporis Deo non hominibus placere studeant, et nec in superfluitate scissura, aut colore vestium, nec in tonsura intuentium offendant aspectum; quodsi moniti ab Episcopis emendare noluerint, ecclesiasticis careant beneficiis. Caus. 21. q. 4. can. 5.

Privilegio fori non gaudeat clericus qui clericalem habitum, et tonsuram non defert. Conc. Trid. Ses. 23. c. 6. de ref.

Clerici decenti vestitu tam in Ecclesia, quam extra assidue utantur. Conc. Trid. Ses. 24. c. 12.

VICARIUS.

Episcopi qui per se non possunt, tenentur assumere idoneos, qui suppleant suo loco, quoad praedicationes, visitationes, et confessionum auditores, et ut possint Episcopi reperire tales, praecipitur in Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis tales institui. L. 1. T. 31. c. 14. et 15.

Vicarius Episcopi non potest inquirere, corrigere, deponere, et punire subditorum excessus, neque potest beneficia conferre, nisi per expressum commissionem habeat. Sext. L. 1. T. 13. c. 2. et 3.

Vicarius Sede vacante a Capitulo intra octo dies eligatur, qui Doctor, vel Licentiatus, vel alias sit idoneus. Conc. Trid. Ses. 24. c. 16. de ref.

VICE ARCHI DIACONUS.

Vide: *Decanus.*

VIS & METUS.

Monacha vi et metu adacta habitum assumens exire, et nubere permittitur. L. 1. T. 40. c. 1.

Qui per metum amissionis patrimonii suo beneficio ronunciat, illud repetere potest. L. 1. T. 40. c. 2. et 4.

Metum passo non subvenitur, si non fuit talis, qui cadere potuit in constantem virum. L. 1. T. 40. c. 6.

Ceterum vide: *Consensus. Matrimonium. Sponsalia.*

VISITATIO.

Annuis vicibus Ecclesiae ab Episcopo visitentur, sed Episcopus hanc visitationem aliis committere potest. Caus. 10. q. 1. can. 10. et 11.

Si Episcopus cum potest, suam Dioecesim visitat per alium, debet illi in necessariis providere, visitati autem in victualibus providebunt ipsi Vicario visitanti. Sext. L. 1. T. 16. c. 6.

Episcopus visitans debet proponere verbum Dei, inquirere de vita Ministrorum, et de pertinentibus ad Divinum officium, absque juramento, et notoria crimina puniat. Sext. L. 3. T. 20. c. 1.

Visitator delegatus recipere potest procurationem in peccunia volentibus visitatis, sed una die ultra unam procurationem non recipiet, licet plura visitaverit loca. Sext. L. 3. T. 20. c. 3.

Archi Episcopus visitare potest provinciam, ac etiam iterare, licet suffraganei non sint negligentes, et tunc confessiones omnium audire, absolvere, et poenitentias imponere *ibid.* c. 5.

Episcopus Monasterium visitans non tenetur accipere Monachos pro tabellionibus, sed duos, vel tres Clericos cum Notario secum assumat. Extr. com. L. 1. T. 7. c. 1.

Episcopi Ecclesias, et alii majores Praelati, quoties opus fuerit, visitent. Conc. Trid. Ses. 6. c. 4. Ses. 7. c. 8. Ses. 21. c. 3.

In Monasteriis quibus imminet cura personarum secularium, praeter eas, quae sunt de familia eorum, visitet Episcopus, et eidem curae praeficiendos examinet. *ibid.* Ses. 25. c. 11.

Archi Diaconus semel in anno visitat suam provinciam. L. 1. T. 23. c. 6.

VOTUM.

Quae Deo voventur, necessario reddantur. Caus. 17. q. 1. can. 1. et seq.

In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute vovisti, ne facias. Impia enim est promissio, quae scelere adimpletur. Caus. 22. q. 4. c. 5.

Vota possunt eleemosynis redimi, vel auctoritate Superioris immutari. L. 3. T. 34. c. 1. et seq.

Votum solennisatum per susceptiomem S. Ordinis, vel per professionem religiosam dirimit matrimonium post contractum, alia vota solum impediunt. Sext. L. 3. T. 15. cap. un.

Regulares omnes obedientiae, paupertatis, et castitatis, ac siquae alia sunt alicujus Regulae, et Ordinis peculiaria Vota, fideliter observent. — Nec ab illis recedatur. Conc. Trid. Ses. 25. c. 1. de Reg.

Regulae Juris Gregorii.

1. Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.
2. Dubia in meliorem partem interpretari debent.
3. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veveritas relinquatur.
4. Quod non est licitum in lege, nec necessitas facit licitum.
5. Quod latenter aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.
6. In ipso causae initio, non est a quaestionibus inchoandum.
7. Quidquid in sacratis Deo rebus, et Episcopis injuste agitur, pro sacrilegio reputatur, quia Sacra sunt, et a quoquam violari non debent.
8. Qui ex timore facit praeceptum, aliter quam debeat facit, et ideo jam non facit.
9. Committens unum peccatum, reus est omnium, quoad vitam aeternam.
10. Non potest pastoris esse excusatio, si lupus oves comedit, et pastor nescit.
11. Indignum est, et a Romanae Ecclesiae consvetudine alienum, ut pro Spiritualibus facere quis homagium compellatur.

Regulae Juris Bonifacii VIII.

1. Beneficium Ecclesiasticum, non potest licite, sine canonica institutione obtineri.
2. Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.
3. Sine possessione praescriptio non procedit.
4. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.
5. Peccati venia non datur, nisi correctio.
6. Nemo potest ad impossibilia obligari.
7. Privilegium personale, personam sequitur et extingvitur cum persona.
8. Semel malus, semper praesumitur esse malus.
9. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.
10. Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari.
11. Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.
12. In judiciis non est acceptatio personarum habenda.
13. Ignorantia facti, non juris excusat.
14. Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiae causam censetur habere.

15. Odia restringi, et favores convenit ampliari.
16. Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.
17. Indultum a jure beneficium, non est alicui auferendum.
18. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.
19. Non est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se inmiscet.
20. Nullus pluribus uti defensoribus prohibetur.
21. Quod semel placuit, amplius displicere non potest.
22. Non debet aliquis alterius odio praegravari.
23. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.
24. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.
25. Mora sua cuilibet est nociva.
26. Ea quae fiunt a Judice, si ad ejus non spectant officium viribus non subsistunt.
27. Scienti, et consentienti, non fit injuria, neque dolus.
28. Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.
29. Quod omnes tangit, debet ab omnibus adprobari.
30. In obscuris minimum est observandum.
31. Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.
32. Non licet actori, quod reo licitum non existit.
33. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.

34. Generi per speciem derogatur.
35. Plus semper in se continet, quod est minus.
36. Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.
37. Utile non debet per inutile vitiari.
38. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.
39. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequntur ex illo.
40. Pluralis locutio, duorum numero est contenta.
41. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat; quod per eum fuerat faciendum.
42. Accessorium naturam sequi congruit principalis.
43. Qui tacet consentire videtur.
44. Is qui tacet, non fatetur sed nec utique negare videtur.
45. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius vel quod plerumque fieri consvevit.
46. Is qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille uti debebit.
47. Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.
48. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura.
49. In poenis benignior est interpraetatio facienda.
50. Actus legitimi, conditionem non recipiunt, neque diem.
51. Semel Deo dicatum non est ad usus humanos transferendum.

52. Non praestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.
53. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.
54. Qui prior est tempore, potior est jure.
55. Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra.
56. In re communi potior est conditio prohibentis.
57. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpraetatio facienda.
58. Non est obligatorium, contra bonos mores praestitum juramentum.
59. Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem.
60. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.
61. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.
62. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.
63. Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri.
64. Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.
65. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.
66. Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.
67. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

68. Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.
69. In malis promissis, fidem non expedit observari.
70. In alternativis, debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.
71. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.
72. Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.
73. Factum legitime, retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.
74. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.
75. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.
76. Delictum personae, non debet in detrimentum Ecclesiae redundare.
77. Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.
78. In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.
79. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.
80. In toto, non est dubium partem contineri.
81. In generali concessione, non veniunt ea quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.
82. Qui contra jura mercatur, bonam fidem praesumitur non habere.

83. Bona fides non patitur, ut semel exactum, iterum exigatur.

84. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

85. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.

86. Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet non aliis imputare.

87. Infamibus portae non pateant dignitatum.

88. Certum est, quod is committit in legem qui legis verba complectens, contra legis nititur, voluntatem.

INDEX.

CORPUS JURIS,

IN COMPENDIO EXHIBENS:

LEGES REGNI HUNGARIAE,

ID EST:

DECRETA REGUM, ET ARTICULOS COMITIORUM, NEC NON DECISIONES CURIALES, SPECIALITER PERSONAS, ET RES ECCLESIAE RESPICIENTES, CUM APPENDICE PRACTICO.

PRO USU

Venerabilis Cleri, inprimis Consistorialium Praesidum, Assessorum, Notariorum, Advocatorum, atque Curam animarum gerentium Sacerdotum.

deductum per

Alexandrum Duchnovits,
Cath. Eccl. Eperjessiensis Custodem, et Canonicum, una ad S. Sedem Consist. Matrimonii, et Religiosae Professionis Defensorem, ac Ord. Pauperum Advocatum. etc.

EPERJESSINI 1847.

Pars II.

EPERIESSINI,
Typis Eduardi Redlitz, caes. Reg. priv. Typographi.

Qui custodit Legem, beatus est. **Prov. 29.**

ABBAS.

Abbas infulatus Abbatiam realem in Regno habens in Tabula Statuum, et Ordinum votum, et sessionem habet. 1608. Art. 1. §. 6.

Abbas juramentum corporale non ponit, sed jurat in sua Ecclesia ad puritatem conscientiae, cujus juramentum aequiparabatur decem Nobilibus. 2dae 40. §. 1.

Abbas possessiones retinere, vel aquirere potest non penes triplices inquisitorias, sed penes privilegiales Majestatis Literas. Math. Decr. 6. Art. 57.

Abbas tam possessionatus, quam non possessionatus Banderium statuere, et ad insurrectionem a proportione proventum militem mittere, et ad onera communia concurrere obligatur. Ulad Decr. 3. Art. 15. et 20. Lud. 2di Decr. 1. Art. 3. et D. 5. A. 19. et 42. item 1543. Art. 13. 1808. Art. 2. §. 12. 1595. A. 14. 1596. Ar. 10. 1598. Art. 15. 1599. Art. 7. 1662. Art. 5. §. 4. et 5. 1681. Ar. 46. §. 4. 1741. Ar. 63. §. 13. 1631. Art. 46. §. 6.

Abbas in Dioecesi Episcoporum humilis sit, ejus et Monialium Claustra visitet Episcopus. S. Lad. D. L. 1. c. 21.

Regem, et Episcopum cum suis ad Monasterium admittet, et in Monasterio, non vero Ecclesia ad osculum Regis, vel Episcopi accedet. S. Lad. D. L. 1. c. 35.

Inter confraternitates non sedeat, sed oblationes fratrum ad claustrum accipiat. *ibidem.* c. 39.

Lites inter duos Abbates (*Abbatiam cum Monasterio habentes*) in synodo, seu Congregatione terminabuntur. Colom. D. L. 1. c. 8.

Decimas Ecclesiae, in cujus territorio terras possidet, praestet. *ididem.* c. 66.

Sedecimam Plebanis, quidus competit, det. Ulad. D. 3. Ar. 50.

Abbas (*Regularis*) cum fratribus regulas observet, secus deponatur. Math. D. 6. Art. 11. §. 2. et A. 12. §. 2.

In conventu adminus septem homines habeat pro fidedignitatibus. Ulad. D. 1. A. 44. §. 2. et Monachum punire possit. *ibid.* §. 3.

Si factus ex Clerico, et intra annum si vestem regularem non induit, beneficium amittat. Ulad. D. 3. A. 58.

Abbas Montis Panoniae in octava S. Michaelis producet Privilegium de exactione peccuniarum sigillarium a vasis. Ulad. D. 3. A. 64. et D. 4. Art. 37.

Abbas Praemonstratensium Sessionem, et votum inter Magnates obtinet. 1715. Art. 73.

ABBATIA.

Praeposituram, vel Abbatiam regularem secularis habere non potest. Ulad. D. 4. A. 32. et D. 5. A. 27., item Math. D. 6. A. 11. et Ulad. D. 6. A. 13.

Abbatiae, et Praepositurae in suo statu, et fundatione relinquantur. 1606. A. 5.

Episcopi, in quorum Dioecesi Abbates et Praepositi fuerint, tenentur eosdem, et Conventus eorum bis singulis annis personaliter visitare, vel per alios bonos, et doctos viros visitari facere, et si Abbates, vel Praepositi regulam non observare, vel alias malam vitam ducere, aut etiam Episcopis suis inobedientes fore dignoscentur, deponantur per eosdem, et melioribus eorum beneficia conferantur. — Ex Conventu etiam fratrum, siqui mali, et inobedientes fuerint, per Visitatores ejiciantur. Math. Decr. 6. A. 12.

Exteri Abbatiam obtinentes mille aureos, et juramentum indigenale deponant. 1741. Art. 17. 1791. Art. 70.

ABLEGATUS.

Post Ablegatos *Capitulorum*, et Comitatuum considebit Ablegatus absentium. 1608. Ar. 1. §. 9.

Praelatus Ablegatum ad comitia mittere debet 1723. Art. 7., non mittens vero, nec comparens, ducentas Marcas. gr. pond. citra omne juris remedium solvat. 1498. Art. 1. et 1662. Art. 53.

ABORTUS.

Abortum procurans una cum complice caput amittat. Prax. Crim. Part. 2. Art. 67. §. 5. et 7.

ACTIO.

In Actione persona, et locus bene specificetur. 2dae. 26.

Haec regulat Judicem, et partes. D. C. P. 1. T. 7. d. 7. debetque semper Judici praesentari, coram quo Causa agitur. 1807. Art. 8.

Actio competit Fisco Regio contra *Praelatos*, pecunias fundationales incaute elocantes, ad desumptionem Sortis, et Census. D. C. P. 2. S. 1. T. 1. d. 5.

Condescendit Actio illegalis. 2dae 82. ob errores irrepentes, facta ab adverso exceptione, idque per judicis Sententiam, vel facta Actoris, errorem observantis, depositione. *ibid.* — Condescendit etiam Actio cumulata. D. C. P. 1. T. 4. d. 5. vel confusa ut nesciatur, qualis divisio petatur, vel diversae praetensiones misceantur. *ibid.* P. 2. Sect. 1. Tit. 18. d. 2., vel si ea pure personalis sit, et Actor ante contestationem litis moriatur. D. C. P. 1. T. 4. d. 16.

Actio querulosa contra Magistratum, in executione sententiae vim adhibentem, non datur. D. C. P. 2. S. 3. T. 1. d. 20.

ACTOR.

Actor si nihil probet, nec communem Inquisitionem celebret, Incattus absolvitur. 2dae 32. et 1729. Art. 27.

Actor si tribus terminis causam non ursit, non audiatur. Col. D. L. 1. c. 64.

Actor ad invalidationem fassionis procedens, aviticitatem in bonis docere debet. D. C. P. 2. S. 1. T. 8. d. 19.

Ad invalidationem vero fassionis ex necessitate celebratae procedens, contrarium probare debet. *ibid.* d. 27.

Si Actor per plures terminos neglexit causam promovere, incatto absoluto, sententiae effectum penes *Prohibitam* impedire non potest. D. C. P. 1. T. 17. d. 4.

Actor ab actione desistere volens, compensationem calumniae, damnorum, et expensarum praestare debet, et punitur. Pr. Cr. P. 1. A. 13.

Si accusationem suam plene probavit, Judicium, juxta qualitatem delicti ferendum est. *ibid.* A. 18. si ex parte solum, tortura locum habebat, (*olim*) *ibid.* §. 2. si vero nihil probavit, accusato absoluto, punitur, et in damnis, ac expensis convincitur. *ibidem*, seu Art. 18. §. 3.

A coepta accusatione desistens, Judici omnes notitias communicare debet. *ibid.* A. 22.

Si accusatus defectu sufficientium indiciorum absolutus est; attunc Actor solvit expensas alimentorum. *ibid.* Art. 54.

Si actor liti immoriatur, Vidua, vel successores ejus citra novam citationem litem continuare non possunt. D. C. P. 1. T. 2. d. 1.

Si actor incompetentem Judicem delegit, ut judicatus condescendat, et si subinde coram alio

Judice triumphavit, expensas coram incompetente Judice factas Actori Incattus non compensat. D. C. P. 1. T. 22. d. 3.

Actor in depositione juramenti deficiens, actionem, et causam amittit. 2dae 36.

Actor etiam rem propriam post elapsum annum propria auctoritate recuperare non potest. Sigism. D. 2. A. 8. et 1681. A. 37 ac 1729. A. 42.

Si Actor Causam tarde levavit, et Incattus tamen sponte comparuit, hic contra illum amplius excipere non potest. D. C. P. 1. T. 3. d. 11.

Si Actor in novo simplici, ob extrinsecum defectum Processum deponit, vel Institutum condescendat, idem judicium novum resuscitari adhuc potest. *ibid.* Tit. 28. d. 10.

Si Actor amice Incattum convenit, vel liti cessit ante sententiam definitivam, ingerens causam prosequi non potest; potest tamen, si id post Sententiam definitivam factum. 2dae 85.

Actor violentiam non probans; sed si fundamentum habuit, nec probetur id vexandi studio fuisse, a poena indebitae absolvitur. D. C. P. 2. S. 3. T. 1. d. 29. et 30.

Actori ab actione amoto competit Appellata. *ibid.* P. 1. T. 23. d. 6. ita et si sententiam condescensoriam accepit. 1729. Art. 41.

Actor actionem calumniae post producta instrumenta deponere non potest. 1729. A. 40.

Depositione Causae utens, expensas non accipit. D. C. P. 1. T. 22. d. 4.

Si incompetentem Judicem elegit, solum

circa Judicem questio oriri potest. *ibidem* T. 6. d. 1.

Actor semiplene probans, si de facto Incatti agatur, huic juramentum purgatorium, si de facto utriusque agatur, Actori suppletorium defertur; si vero semi plenas probas produxit Actor, quas Incattus diluit, hic absolvitur. 1729. Art. 27.

Actor intra triduum actionem non levans, si agente Incatto in judicio regali convictus, legales rationes non levatae assignet, intra quindenam eam levare, processumque continuare potest, secus in expensis convincitur. D. C. P. 1. T. 3. d. 10.

Si Actor nullum probandi modum habeat de facto Incatti, huic solum juramentum defertur. 1729. A. 27. et si id Incattus deposuit, Actor expensas solvit. *ibid.* §. 6.

Actor, et Judex simul nemo esse potest. 2dae 22.

ACTUM.

Notarius Capituli vel Conventus acta domum pro expeditione ferre non potest. 1741. Art. 25.

Acta conventiculorum, et synodorum sub intestinis motibus celebratorum annihilantur. 1715. Art. 31. et 32.

ADMONITIO.

Admonitio per comites, et judices Nobilium penes testimonium hominis regii, et Capitularis, vel Conventualis fiat. Ulad. D. 1. Art. 55.

ADULTERIUM.

Adulter vir aut mulier in primo casu virgis, et proscriptione, si secunda vice, vel si adulterium utrinque commissum, gladio puniri jubetur, Prax. Crim. 2. Art. 76. §. 8. — Si altioris conditionis persona sit, primo carcere, jejunio, mulctaque peccuniaria, vice altera pro gravitate circumstantiarum, etiam capite plectitur. *ibidem.*

Adulterium violentum committens per oppida non privilegiata, villas, et Nobiles privilegia non habentes, illico puniri potuit. 3tiae 32. §. 2.

Si maritus cum soluta adulterium committat, prima vice mulcta peccuniaria, secunda vice carcere, jejunio, compedibus, et laboribus punitur, tertia vice virgis plectitur. — Soluta tamen semper mitius plectitur. Pr. Cr. Part. 2. Ar. 76. §. 8.

Adulterium committens fidelis cum infideli, virgati ad columnam infamiae exponi et proscribi, si secunda vice committant, capite plecti jubentur. *ibid.* Art. 82.

Adultera mulier, dotem, non item parapherna, resque a marito donatas ammittit, potestque maritus caput ejus petere, nisi si sponte convixit, vel conniventer se habuit; in hoc enim casu nec dotem amittit. 1mae 105.

Adultera uxor juri statuta canonice punitur, postea eam recipere potest, secus uterque innupti manent. S. Lad. D. L. 1. c. 20.

Adultera uxor poenitentiam agat, tum reconcilietur marito, vel innupta maneat. Colom. D. L. 2. c. 8.

De adulterio Archi Diaconus, vel Episcopus judicabat. Col. D. L. 1. c. 61.

Vide : *Concubinatus* et *Fornicatio.*

ADVOCATIA ECCLESIASTICA.

Ejus jure puniet Rex eos, qui Parochos vel Presbyteros ad Synodum non dimittunt. 1559. Art. 41.

ADVOCATUS.

Advocatus cum parte sua literis falsis utens, parte adversa postulante, in poena infamiae convincitur. Plan. Curial. Part. 1. Decis. Cur. 31. c. 1.

Advocatus Pauperum, si cum clientibus de quotta litis paciscatur, vel cum adversario colludat, perpetuo silentio punitur. *ibid.*

Procurator juramentum calumniae etiam in foro spirituali praestabat. 1567. A. 27. sed ab eo absolutus est. Art. 34. 1574.

Advocati, et procuratores a prolixis et inanibus allegatis abstineant. 1725. Art. 38. 1729. A. 43. 1792. Art. 16. et si innanes cavillationes, et subterfugia faciat, Judex talia rescindat. 1563. Art. 49.

Colludentes Advocati, ac Procuratores etiam *in Foro sacro* agentes, ut falsarii, et perjuri beneficia amittant, et perpetuis carceribus mancipentur. 1567. A. 27.

AETAS.

Aetas Pupillorum cognoscitur per Judices Regni ordinarios, vel Capitula, vel Conventus; Testi-

moniales de aetate dicuntur „*Revisionales Litterae*" penes quas Tutor negotia pupilli gerere, et in casu convictionis accordare potest. 1mae 127.

Aetas tenera, immaturumque judicium alleviat poenam sodomiae. Pr. Crim. P. 2. Art. 75. prout et aetas valde provecta minuit poenam. *ibid.* Par. 1. Art. 44.

AGNATUS.

Agnatio virilis, et cognatio foeminei sexus homines designat, unde omnes, qui sunt agnati, sunt etiam cognati, sed non e converso. 1mae Tit. 118.

Agnatum non excludit cognatus in tutela, si bona sexum masculinum concernant. *ibid.* 116. et 119. si vero bona sexum utrumque concernant, agnatis minorennibus, cognati majorennes in tutela praeferuntur. *ibid.* 117.

ALTARISTA.

Altaristae Decimas, nonas, quartas, non tamen bona possidentes, juxta conscientiam militem statuant. 1595. A. 14. 1662. A. 5. 1681. A. 46.

Capellani, Altaristae, Scholares non peragant executiones, sed ex Capitulo Canonicus, ex Conventu Pater. Math. D. 6. A. 10.

Vide: *Capellanus*, *Cooperator*.

AMORTISATIO.

Bona secularia Episcopi non impetrent, neque emptione, vel pignore apprehendant. Lud. 1. in Confirm. Decre. Andr. 2di. §. 11. item. Ulad.

D. 3. Art. 55. et 65. item 1647. Ar. 17. et 1715. Art. 16. —

Ex bonis avitis decimalitatem solum, idque ad vires quinque millium tantum, nec ultra; ex aquisitis vero nihil ad Claustrum inferre liceat. 1715. Art. 71.

Religiosi bona secularia nonnisi jure pignoris tenere possunt. *ibid.* A. 102.

Bona ordini Religioso fassione, vel contractu perennali addicta, etsi statutione firmata, non tenent. Decis. Curial. Part. 2. Sect. 8. T. 1. decisione 48.

Vide: *Bona Ecclesiastica.*

ANABAPTISTA.

Anabaptista extra limites Regni pellatur, et quo ocyus emigret. 1548. A. 11. 1556. A. 26. 1557. A. 10. 1578. A. 2. 1647. A. 102.

Anabaptista christianum rebaptisans, vel recipiens, in quingentis taleris convincitur. 1635. A. 26. ceterum de Anabaptistis. Vide: 1593. A. 4. 1595. A. 10. 1602. A. 2. 1603. A. 3. 1647. A. 26. 1662. A. 12. 1625. A. 28. *etc.*

APOSTASIA.

Catholici ad Acatholicos ante admissionem Regi referatur. 1790. A. 26. §. 13.

ARBITER.

Arbiter quidquid deciderit, licet partes se, et successores suos observaturos spoponderint, ni-

si remedia juridica sibi praesciderint, via novi denegari nequit. Dec. Curial. Part. 1. Tit. 28. decisione 4.

ARCHI EPISCOPUS.

Vide: *Metropolita.*

ARCHI DIACONUS.

Archi-Diaconos Episcopi pro restitutione Religionis constituant. 1548. A. 6. 1550. A. 13. cujusmodi Archi-Diaconus titulo cathedratici ab integra Ecclesia integrum, a media medium florenum accipiat. Ulad. D. 3. A. 53. 1569. A. 43.

Archi-Diaconi, et Vice-Archi-Diaconi officia sua libere peragant, inquirant, puniant vitia, et pravitatem, seu delicta Sacerdotum. 1557. A. 10.

Archi-Diaconus maleficos judicabat. Col. D. L. 1. c. 60. cum Judice seculari homicidas judicabat, et nonam, ac decimam substantiae eorum partem participabat. *ibid.* c. 50. mulieres partum enecantes poenitentiae subjiciebat. *ibid.* c. 58. de raptus crimine, et de adulterio judicabat. *ibid.* c. 61. et 59.

Archi-Diaconus Presbyterum non beneficiatum arma, vel pixidem deferentem si non resignet Praelato pro incarceratione, ipse incarcerandus Praelato tradatur. Ulad. D. 7. Art. 60.

Militem statuere tenetur. 1595. Ar. 14. 1741. A. 63. 1805. A. 1. 1808. A. 2. item pro subsidio belli per Vice Comitem taxetur. 1596. A. 10. — 1598. Art. 15.

ASSESSOR.

Pro Tabula Regia duo Archi Episcopales Assessores in Judicio aderunt. 1557. A. 13. unum tamen pro Judicio Archi Episcopus Strigoniensis constituit. 1567. Art. 26.

Assessores duo ex Praelatis eligentur. Ulad. D. 3. Art. 2.

ASSISTENTIA.

Vide: *Brachium.*

ASYLUM.

Asylum in Ecclesia non habeat, in personam Regis, vel totum Regnum machinans, vel conspirans. S. Steph. D. L. 2. c. 51.

Furibus asylum praestabat Ecclesia, Curia Regis, et Episcopi. S. Ladis. D. L. 2. c. 1. et 2.

Fur in Ecclesia asylum quaerens praetendendo innocentiam, subjicitur judicio, et si reus compertus fuerit, tractetur, acsi eo nec confugisset. S. Lad. D. L. 3. c. 17.

Asylum Ecclesiae nihil proderit furi furtum neganti, confitentem vero a mutilatione liberet. Col. D. L. 1. c. 84.

AUSTRIACA DOMUS.

Domus Austriacae haereditatem in Regno agnoscunt. SS. et OO. 1547. A. 5. eaque pro masculis primogenitis defigitur in perpetuum. 1687. Art. 2.

Austriaca linea deficiente, succedat Hispanica, et hac deficiente, electio libera ad SS. et OO. redeat. 1687. Art. 3.

Austriacae Domus successio in Hungaria etiam foemineo sexui, earumque masculis defertur, 1723. A. 2. et hujus successionis ordo defigitur. *ibid.* si vero etiam in foemineo sexu defecerit, attunc electio sit libera. 1723. A. 2. et 1741. A. 2.

AUTHENTICATIO.

Authenticatio testium contractum coramisantium, dein puncta ejus tenoribus ejusdem contrarie interpretantium, fieri non admittatur. Decis. Curial. P. 1. Tit. 19. decisione 2.

AUXILIUM.

Si Pater, vel Mater, Dominus, vel Domina, aut superior ad perpetrationem delicti auxilium dedit, poena ejus agravatur. Pr. Cr. P. 1. A. 45.

Auxilium praestans ad raptum puellae, vel abductionem, carcere, jejunio, columna infamiae, et proscriptione pro circumstantiis puniatur. Pr. Cr. P. 2. A. 79. §. 5.

AVUS.

Avus paternus si nobilis est, tutelam habet nepotum. 1mae 113.

Avia materna si vivit; pater tutor prolium intuitu bonorum uxoreorum ad transumpta litterarum actione caret. Dec. Cur. P. 2. Sect. 1. Tit. 16. dec. 6.

Avum vel aviam occidens, parricidium committit, et fractione crurium etc. puniebatur. Pr. Cr. P. 2. A. 65.

BENEFICIUM ECCLESIASTICUM.

Beneficia ecclesiastica Rex confert, quod Jus in concilio Constantiensi roboratum. 1mae 11.

Beneficia praesertim majora, uti Archi-Episcopatus Strigoniensis, solis Hungaris meritis conferantur. Ulad. Dipl. §. 11. D. 3. A. 67. item 1550. A. 18. 1569. A. 36. 1588. A. 39. 1659. A. 38. 1681. A. 27. et 1725. A. 55.

Beneficia ecclesiastica Jus Patronatus conferendi habentes bene meritis Hungaris conferant. 1725. A. 55.

Collatio Beneficiorum ecclesiasticorum, et Jura Patronatus, omnium Ecclesiarum, et beneficiorum revocantur, et soli Regi reservantur. — Item statuitur, ut Rex cuncta beneficia ecclesiastica ab illis, qui ultra unum habent auferat. Lud. 2. Decr. 2. A. 15. Anno 1518.

Si Praelati beneficium eccl. minus idoneis contulerint, adempta Rex meritis conferat. Ulad. D. 3. A. 67.

Praelaturae, et alia beneficia eccl. solis bene meritis Hungaris conferantur. Ulad. D. 2. A. 30. et D. 3. A. 26. item 1537. A. 42. 1552. A. 42. et 1647. A. 98. secus Episcopatus, Abbatias, Praeposituras possidentes exteri mille aureos, Canonias, et minora beneficia habentes ducentos titulo indigenatus solvant. 1741. A. 17. 1790. A. 70.

Si tamen extero collatum est, ad sedem redeat, et si intra praefixum tempus non redierit, Rex indigenae conferat. Ulad. D. 2. A. 30.

Beneficia duo uni non conferantur. Math. D. 3. A. 13. Ulad. D. 3. A. 56. et D. 6. A. 13. item D. 7. A. 59. Lud. 2. D. 2. A. 15. 1548. A. 6. 1723. A. 55. siquis enim duo habet, retento uno ad libitum, aliud Rex conferet. Ulad. D. 3. A. 56.

Episcopo tamen Vesprimiensi, et Episcopo Bosnensi duo sunt concessa. Ulad. D. 4. A. 31. et A. 56.

Beneficia eccl. occasione bellorum occupata Dominis suis restituantur. Hunyad. A. 2. ea seculares non occupent. Albert. D. A. 21.

Oppignorata ben. eccl. redimantur, et Statui ecclesiastico conferantur. 1588. A. 39. prout

Restituatur illi, qui id ob fidelitatem erga Regem amisit. 1536. A. 53.

BENEFICIUM ECCL. (Amittat.)

Praelatus, vel Ecclesiasticus Decreta Regni palam violans, et Statuta Regni etiam in negotio Religionis non observans. Ulad. D. 6. A. 8. 1647. A. 5. item Clericus vestem secularem deferens. Ulad. D. 3. A. 59. nec non: Clericus secularis, si regularium Abbas, vel Praepositus factus, intra annum habitum regularium non induat. *ibid.* A. 58. tum: praeteritis Regni judiciis Romam recurrens. Math. D. 3. A. 19. porro:

Capitula et Conventus redemptiones literarum, et executiones secundum Decreta Sigismundi non facientes. Math. D. 3. A. 22. sicut et Capitulares, et Conventuales false testantes. Math. D. 6. A. 10. Ulad. D. 1. A. 43. et D. 3. A. 14.

Archi, et Vice-Archi-Diaconi, et Parochi a sepultura interfecti quidpiam exigentes. Math. D. 6. A. 63. Ulad. D. 2. A. 6. item:

Ultra omnia funeralia marcam argenti, vel quatuor aureos desumentes. Ulad. D. 1. A. 29. — ab interfectoribus tamen libere exigant. *ib.* denique

Beneficium amittat Judex Ecclesiasticus, causam avocanti Judici submittere nolens. Ulad. D. 1. A. 46. ac

Judex eccles. Causam quamvis, praeter matrimonialem, erga mandatum declinatorium non submittens. 1647. A. 15.

Amittat beneficium Ecclesiasticus, executioni poenalitatis sexcentorum florenorum, ob non admissa templa Scholas, Parochias sepulturam Protestantibus sese opponens. Ulad. D. 6. A. 8. item: 1647. A. 14. et 1790. A. 26.

BENEFICIUM ECCLESIASTICUM.

Beneficia eccl. Curiae Romanae obligata intra annum elibertentur. Ulad. D. 3. A. 56. — in vacantia horum Papa nullum jus habeat. 1mae 11.

Benef. eccl. ex Collatione Regis possidentes, quoad substantiam, et testamenta vel se Kolonichianae Conventioni accomodent, vel facultatem testandi petant. 1715. A. 16.

Benef. eccl. plura possidentes ratione utriusque ad insurrectionem concurrent. Math. D. 3. A. 13. Ulad. D. 3. A. 56. item 1808. A. 2. et 1805. A. 1.

Si benef. eccl. Rex statim non conferat, ad conservationem castrorum finitimorum convertantur. Ulad. D. 7. A. 59.

BIGAMIA.

Bigamia antiquatur annis viginti. Pr. Cr. P. 1. A. 43.

Bigamus Presbyter, vel Clericus poenitentia exacta reducatur ad ordinem, reluctans degradetur, et foemina dimissa nubere possit. S. Lad. D. L. 1. c. 1.

Clericus ob uxorem officium negligens, laicus fiat. Colom. D. L. 2. c. 4.

Bigamus, Viduae, vel repudiatae maritus a Clero excludatur. Col. D. L. 1. c. 67. et L. 2. c. 9.

Bigamus, vel bigama gladio plectuntur, quae poena pro ratione circumstantiarum exasperatur. 1599. A. 36. et Pr. Cr. P. 2. A. 77.

BIRSAGIUM.

Desumitur ab iis, qui subsidia defixis terminis non solvunt. 1550. A. 25.

Titulo birsagii tres marcae solvuntur in causa longae litis, in primo termino non comparens, — in secundo rursum tres, et nonnisi prioribus non solutis, in duplo convincitur contumax. 2dae 86.

Titulo birsagii in litibus brevibus tres marcae solvuntur. *ibid.* §. 11.

Violator sedis Judiciariae in viginti quinque marcis convincitur. Sig. D. 6. A. 7. Math. D. 6. A. 58. Ulad. D. 1. A. 67.

Ad proclamatam Congregationem non comparentes poena trium marcarum mulctantur. *ibid.*

Tres marcas solvit omnis Magnas, Praelatus,

Nobilis, ad onus commune ferendum concurrere nolens. Math. D. 6. A. 64.

Totidem marcas solvit, qui in proprio vel indivisorum fratrum terreno alium arestat. Ulad. D. 1. A. 89.

Birsagia post admonitionem intra quindenam non solvens convictus in bonis executionem subit. Math. D. 6. A. 52.

Titulus hic ideo huic Libello insertus est, quia Sacra Sedes etiam contumaces aut violatores Sedis in birsagio convincere solet.

BLASPHOEMIA

Blasphoemus in Creatorem, Baptismum, et animam primo publice caedebatur, secundo baculis pulsabatur, et vice tertia, ut homicida puniebatur. 1563. A. 42. 1659. A. 42. 1723. A. 110.

Blasphoemum audiens, non denuncians in tribus marcis mulctetur. 1563. A. 42. 1723. A. 110. et Pr. Cr. P. 2. A. 59.

Blasphoemans etiam ex mala consvetudine in Deum, B. M. Virginem, et Sanctos puniendus est Pr. Cr. P. 2. A. 59.

Blasphoemiam gravem deliberato animo factam, confesso, vel de ea convicto, ignitis forcipibus lora e corpore detrahebantur, manus et lingva amputabatur, et comburebatur. Pr. Cr. P. 2. A. 59., item gladio, praemissa amputatione manus, et lingvae, plectebatur. *ibid.*

Homo vulgaris communem blasphoemiam primo committens, octo dierum carcere, et jeju-

nio mulctari, vice secunda ad lignum, seu crucem condemnari, tertio ad columnam infamiae cum inscriptione delicti exponi, quarto lingva ferro ignito perforata, vel abscissa proscribi jubebatur. Pr. Cr. P. 2. A. 59., si vero persona nobilis id commisit, primo moneri, et non sapiens aresto octo dierum mulctari, secundo officio privari, tertio aresto plecti jubebatur. *ibid.*

Blasphoemia enormis contra Deum nunquam antiquatur. Pr. Cr. P. 1. A. 43.

BONA ECCLESIASTICA.

Reges Hungariae terras a Castris Regalibus, ad quae veluti Jurisdictionem S. Regni hujus Coronae spectabant, sequestrantes, Monasteriis, et Ecclesiis *in perpetuam* Eleemosynam contulerunt. 1mae 84. §. 1.

In Juribus possessionariorum, Donationibus, omnium DD. Praelatorum fundatur exordium, fulciturque Dominium 2dae 1.

Omnes DD. Praelati, et Ecclesiarum Rectores, ac Barones, et ceteri Magnates, atque Nobiles, — et ratione nobilitatis, et ratione bonorum temporalium, una eademque libertatis, exemtionis, et immunitatis praerogativa gaudeant. 1mae 2.

Placuit Regi, et Cocilio: ut Dotes cujuslibet Possessionis Monasteriis, seu Ecclesiis a beato Stephano Rege dispositae inconvulsae remaneant. Colom. D. L. 1. c. 1.

Placuit omnes pistrinas, *praeter quas S. Stephanus donaverat* (Episcopis, vel Capitulis)

solio Regali addicere. Colom. D. L. 1. c. 15. Vineae, mansiones, terrae a Regibus quibuslibet datae, perseverent his, quibus dabantur, et permaneant. *ibid.* c. 17.

Sylvas Ecclesiis datas minime auferri concedimus. *ibid.* c. 18. Veteres Coloni ejecti, terram non habentes alibi, ad suam revertantur; si tamen terra eorum data est Monasteriis, vel Ecclesiis, hoc inviolabiliter ita permaneat. *ibid.* c. 19.

Bonis quisque libere uti, et frui possit S. Step. D. L. 2. c. 35.

Bona eccl. secularibus inscripta restituantur, seu: Ut Episcopi ipsi et eorum Ministri, Archi-Diaconi, Plebani, et id genus alii, rite possint exercere officium suum, omnis querelae, vel tergiversationis occasione submota, videtur aequum, et justum esse, ut juxta benignam adhortationem Regiae Majestatis, decimae, et alii proventus, *bonaque Ecclesiarum*, his ad quos spectant, integre de omnibus reddantur: Neque in eas, partemve earum, invitis Dominis, se quisquam ingerat. 1550. A. 17. et 19., ea Episcopi, vel Praelati revindicent. *ibid.* A. 20. et 1567. A. 32. 1625. A. 16. et 1647. A. 62.

Bona eccl. cuique secularium donata, vel vendita, praeter ea, quae Scholis dicata sunt, revindicari jubet Ferdinandus Decreto speciali. 1560.

Cunctorum DD. Praelatorum, et virorum Ecclesiasticorum Princeps ipse noster verus pariter et legitimus successor est, non quantum ad Bonorum, et Jurium possessionariorum ab Eccle-

sia ablationem, sed quantum alteri ad gubernandum cum Ecclesia collationem. 1mae. 10.

Bona ad Ecclesias, vel personas eccl. spectantia, Plebani, et his insufficientibus Episcopi revindicent. 1557. A. 11. item 1613. A. 2. 1715. A. 60. 1536. A. 13. 1548. A. 8. 1567. A. 31.

Bona eccl. et secularia a colonicalibus portis singulis florenos novem, Nobiles vero florenos sex de propria bursa pro subsidio pendent. 1595. A. 4. 1599. A. 6. item 1600. A. 3. 1603. A. 3. 1604. A. 3. 1608. A. 14. tenore vero Articuli 3. 1603. a Domo colonicali, et inquilinari duorum flrum subsidium solvant.

Bona eccl. seculares, et vicissim secularia Ecclesiastici impetrare, emere, vendere, impignorare non possunt. Lud. 1. in Conf. Decr. Andr. §. 11. item Ulad. D. 3. A. 55. et 65. item 1647. A. 17. — 1715. A. 16.

Bona Ordini religioso, fassione, vel Contractu perennali addicta, etsi Statutione firmata, non tenent. Dec. Cur. P. 2. Sect. 1. Tit. 8. dec. 48.

Bona eccl. seculares ne occupent, neque se illis aliquo pacto intromittant. Ulad. D. 3. A. 55. Sigism. D. 6. A. 21.

Ecclesiarum Praelati pro persona sua, et Ecclesiae suae Jura possessionaria secularia nec a Regia Majestate quoquo modo impetrare, nec pecuniis *jure perpetuo* emere, aut titulo pignoris habere ne possint. Ulad. L. 3. 55. Articulus tamen hic anno 1647. A. 17. renovatus, taliter est modificatus Articulo 16. 1715. §. 4to ut ra-

tione bonorum secularium Ecclesiasticae, vel religiosae personae, aut Communitates, siquidem in continuo ejusmodi emtionis usu praefuissent, in possessione hujusmodi bonorum, usque ad eorundem per seculares fiendam reluitionem, pro hac vise conserventur. *item.* §. 5to a modo vero imposterium art: 17. 1647. tamquam hic loci renovatus observetur. exactius, (nisi Ssma Majestas R. in specialibus casibus, — salvis tamen Juribus alienis, — eatenus dispensaret. 1715. 16.

Bona per Regem non collata, sub nota infidelitatis restituantur. Lad. Post D. 1. A. 7. item 1542. A. *1.* 1552. A. 16. — 1563. A. 43.

Bona tam eccl. quam secularia a trienio occupata intra quindenam, sub poena Actus potentiarii restituantur, secus Gubernator revindicet, et reluctantes incarceret. Szilagyi. D. A. 1.

Ecclesiasticae personae non penes inquisitionem, sed penes solas Literas privilegiales bona aquirere, et retinere possunt. Lud. Decr. un. A. 20. Math. D. 6. A. 57. Ulad. D. 1. A. 77.

Bona desolatarum Ecclesiarum, et Monasteriorum, pro Parochorum, Scholarum, Magistrorum, et Juvenum Literis vacantium subsidio applicentur. 1548. A. 12. 1550. A. 19.

Bona impetrata, etsi statutione pura roborata, si evenerit fuisse Abbatiae vacantis, actio ex statutione pura non competit. Decr. Cur. P. 2. Sect. 2. 3. d. 4.

Bona, et Decimas per capitaneos, et Vice Capitaneos e bonis eccl. desumptas Palatinus res-

titui faciat. 1625. A. 16. et 1647. A. 62. et 1567. A. 32.

Bona eccl. et secularia per Generalem Varasdiensem, Eszekiensem, et Cameram possessa restituantur. 1715. A. 113.

Bona eccl. et secularia Rex solis Hungaris absque limitatione conferet. Ulad. D. 5. A. 10.

Bona religiosorum locorum, occasione statutionis stipendiorum non privati, sed Comitatus pro se connumeret, nisi bona ex eorum avitis fundata essent. Lud. 2. D. 7. A. 23.

Bona Parochi sive testato, sive intestato decedentis Patronus non occupet. 1557. A. 10.

Religiosi bona secularia nonnisi Jure pignoris tenere possint. 1715. A. 102.

Ceterum vide: *Amortisatio.*

BRACHIUM.

Brachium Regale in causis spiritualibus, exequatur Capitaneus, vel V. Comes. 1588. A. 45.

CALENDARIUM.

Calendarium novum adoptatur. 1588. a. 28. — illud non acceptantes Concionatores, proventus suos amittant. 1599. A. 45.

CALIX.

Calicem majorem, Ciborium, Monstratorium in quibus Eucharistia consecratur, furto auferens rogo damnatur, vel gladio, aut patibulo supra pyram erecto punitur. Pr. Cr. P. 2. A. 85.

CALUMNIA.

Calumnia in sensu Juris Hungarici committitur. 1mo dum quis eandem rem duplici colore, titulo, vel via prosequitur. 2do Siquis alterum Jure quartalitii, dotalitii, pignoris absolutum habeat, et tamen eundem absolutum, vel ejus haeredes lite intuitu ejusdem impetat. 3tio si causam plene terminatam absque gratia Principis resuscitet. 2dae 70.

Quatùm vero attinet Calumniam sensu Canonico vide: *Dehonestatio et hoc sensu:*

Calumniator Aulae Regiae morte puniatur. S. Steph. D. L. 2. c. 53.

Calumniator poenam talionis incurrat. 1567. A. 9. 1604. A. 18. Math. D. 6. A. 54. Ulad. D. 1. A. 70. 1574. a. 23.

Ut vero poenam incurrat, nomen delationi subscribere debet, secus nullus ejusdem usus fiat. 1805. A. 5.

CAMERA.

Camera Regia Hungarica a beneficiis ecclesiasticis vacantibus singulis, singulos equites ad Insurrectionem statuat. 1805. A. 1. et 1808. A. 2.

CAMPANA.

Campanae Protestantibus admittuntur. 1647. A. 5. et 10. et 1790. A. 26. easque pro iisdem taxis Evangelici cum Catholicis usuent. *ibid.*

Campanarum usus Catholicis in locis in quibus Protestantibus templa relicta sunt, libere relinquitur. 1681. A. 26. et 1715. A. 30.

Campanas Evangelicis impediens in sexcentis flnis convincatur, et executioni se opponens ecclesiasticus beneficium, secularis bona amittat. 1647. a. 14. et. 1790. a. 26.

CANDELA.

Candelam (ex Ecclesia) absque scitu Presbyteri sufferens, manum furem decem pensis redimat. S. Steph. L. 1. c. 14.

CANON.

Judicia spiritualia continuo secundum canones, quibus Ecclesia ab antiquo usa est continuentur, in omnibus causis Forum ecclesiasticum concernentibus. Art. 22. 1553. et Art. 27. 1563.

Ceterum vide: *Sacra Sedes. judicium eccl.* et *Forum spirituale.*

Canones Synodus Protestantium condere possit, approbationi Regiae substernendos. 1790. A. 26.

CANONICUS.

Canonicatus Jurium, et Lingvae patriae peritis conferatur. 1741. A. 16.

Canonicus pro redemtione Literarum suarum in Cancellaria majori duodecim flnos solvat. 1609. A. 73. — et ad Insurrectionem equitem, vel peditem pro ratione proventuum statuat. Lud. 2. D. 5. A. 42. 1542. A. 34. 1805. A. 1. et 1808. A. 2.

CAPELLANUS.

Capellanus Regis in Congregatione judicetur. Colom. L. 1. c. 9.

Capellani Castrenses ex singulo Monasterio mittantur duo. 1542. A. 41. 1659. A. 85. 1662. A. 5. 1681. A. 46. 1741. A. 63.

Capellanum Castrensem unum de gremio sui singulum Capitulum suis sumptibus mittat. 1552. A. 3. 1659. A. 85. 1662. A. 5. 1681. A. 46.

Vide: *Altarista*, *Cooperator.*

CAPITALE.

Capitale exteris, vel tali, qui ad subsidium non concurrit, elocatum, centesimam pro subsidio praestet. 1807. A. 2. — ita etiam Capitalia Religiosorum, et ecclesiasticorum hanc centesimam solvent. *ibid.*

Si intra triginta duos annos nec repetitionem Capitalis, nec solutionem census, nec admonitionem vel requisitionem edocere possit Actor, ex antiquis obligatorialibus, vel chartabianca procedere non potest. 1729. A. 37.

CAPITULUM.

Capitularis, Conventualis, vel Regii hominis occisor, verberator, vulnerator, notae infidelitatis reus fiebat. 1mae 14.

Capitulum cum Praeposito in Tabula Statuum unam vocem habeat. 1608. A. 1.

Capitula non penes triplices inquisitorias, sed penes privilegiales Majestatis Literas, possessiones aquirere, et retinere possunt. Math. D. 6. A. 57.

Capitulum Fassionem non coram se, sed coram aliis Locis credibilibus celebrare potest. 1723. A. 41.

Procuratorias, et Plenipotentiales Literas pro se dare, at, revocare, nisi coram aliis locis authenticis possit. *ibid.*

Decimas circa Festum Georgii, cum praerogativa Domini exarendet. 1547. A. 35.

Capitulum pro fidedignitatibus idoneas ac sufficientes personas habeat. Ulad. D. 3. A. 67. et 1723. A. 39. 1741. A. 25. quia si adminus quinque personas non numeret, executiones peragere non possit; secus Episcopus suppleat, et de sustentatione provideat. 1552. A. 41.

Capitulum ab exmisso pro testimonio legali juramentum exigat, idque relatoriis inseratur, secus puniatur, et actus nihil valeat. 1559. A. 50.

Ceterum de iis, quae spectant ad custodiam, et negotia loci credibilis inspicere licebit Articulos sequentes, uti: Ulad. D. 1. A. 43. 1536. A. 58. 1550. A. 58. 1723. A. 42. et 43. 1543. A. 29. 1764. A. 11. 1807. A. 14. Math. D. 3. A. 22. Dec. Cur. P. 2. Sect. 1. Tit. 8. d. 47.

Capitula non fiunt rei larvae, si larvatus per alium fassionem faciat. 2dae 16. si tamen studiose facerent, ut falsarii, et perjuri puniantur, — Capitula et conventus amittunt Sigilla; personae vero amittunt beneficia, et Judices Regni Ordinarii in sententia capitali, amissione bonorum, sigili, et honoris, denique Capitulares, vel conventuales personae stigmate in fronte, vel facie signantur. 2dae 16.

Capitula et Conventus, excepto crimine laesae Majestatis, nota infidelitatis, et homicidio volun-

tario, in omnibus actibus, ut singulares personae gravantur. *ibid.* privati vero Capitulares, vel conventuales actus violentiales patrantes, seu privata bona habuerint, seu non, e loco patratae violentiae evocentur. *ibid.* si tamen privatus de Capitulo, vel Commembrum Capituli violentiam patravit, de communibus bonis satisfit. 2dae 47.

Capitulum si a Praelato divisa habuerit bona, prout actum patravit, evocatur, et in portione patrantis fit executio, et juramentum defertur. Si vero bona indivisa, in corpore evocantur, et e bonis communibus fit satis. *ibid.* 49.

Capitulum sedecimam Plebanis, queis competit, det. Ulad D. 3. a. 50.

Banderium, et militem ad Insurrectionem statuat, ac ad onera communia concurrat. Ulad. D. 3. A. 15. 1547. A. 35. 1681. A. 46. 1741. A. 63. 1805. A. 1. 1808. A. 2. etc. item: 1659. A. 85. 1662. A. 5. 1681. A. 46. Lud. 2. D. 1. A. 3. et D. 5. A. 42. nec non Ulad. D. 3. A. 15. et 1596. A. 10. 1598. A. 15. 1599. A. 7. etc.

Capitulum unum de gremio sui, suis expensis alendum, ad insurrectionem pro Capellano mittat. 1552. A. 3. 1659. A. 85. 1662. A. 5. 1681. A. 46. ditiora tamen Capitula in sustentanda Capella castrensi, pauperiora juvent. 1552. A. 3. §. 8.

Capitularis, qui falsum testimonium dedit, perpetuo carcere mancipatur. Sig. D. 6. A. 8. Ulad. D. 1. A. 43.

CATHEDRATICUM.

Cathedraticum Archi-Diaconus ab integra Ecclesia integrum a media, medium flnum accipiat. Ulad. D. 3. A. 53. item: 1569. A. 43. Ecclesia tamen desolata non solvat, donec restauretur. Ulad. D. 4. Art. 38.

Sed hoc genus desumptionis jam penitus exolevit.

CATHOLICUS.

Catholici usum Campanarum, et sepulturae habeant in locis, in quibus templa possessa Protestantibus relinquerunt. 1681. A. 26. 1687. a. 21.

Catholici ubi Ecclesias Acatholicorum retinuerunt, ibi Evangelici alias erigere possint. 1647. A. 10. 1690. a. 26.

Catholici Templa promissa Evangelicis restituant, et vicissim Evangelici Catholicis. 1647. A. 13. 1790. art. 26.

Catholici, et Protestantes Templa Scholas, Parochias sub ammissione bonorum, vel beneficiorum invicem non occupent. 1681. A. 26. 1687. A. 21. 1715. A. 30. 1790. A. 26.

Catholici ad solutiones Ministrorum Evangelicorum concurrere non tenetur. 1647. A. 11. 1681. A. 26. 1715. A. 30. 1790. A. 26. neque ad Scholas, Templa, Parochias Acatholicorum operas praestare obligantur. 1790. A. 26.

Catholicum ad sacra protestantium nemo allicere audeat. *ibid.* sed si quis Catholicus ad Protestantes transire velit, Regi prius referatur. *ibid.*

Interim praemissae 1790. *Leges vigore novae Anno* 1844. *latae Legis in sequentibus immutatae habentur, nimirum:*

1mo Quod omnes illi, qui usque decimum Octavum aetatis annum in Professione Evangelica educabantur, sexus vero foeminei personae, post celebrata connubia — etiamsi mox attactam aetatem non attigerunt, — nec soli, nec eorum successores quaestioni religionariae subjici possint.

2do Quod post publicationem hujusce Legis, etiam illa mixtae Religionis matrimonia, quae per Evangelicos ministros copulata sunt, legalia maneant; prout et

3tio Quod cuncta illa mixtae Religionis matrimonia, quae inter Catholicos, et cujuscunque professionis Evangelicos a die 15ta Martii anni 1839. usque 10mam Novembris 1844 contracta, et non per R. Catholicum sacerdotem, sed per Evangelicum Ministrum copulata sunt, pro legalibus declarentur. Cujusmodi Matrimonia

4to Teneantur concernentes Jurisdictiones, intra unum a publicatione hujusce Legis computandum annum fidedigne conscribi, et conscriptiones has, pro partium, earumque successorum securitate ad sua Archiva reponi, ac in quantum matrimonia haec concernentibus Matriculis illata haud forent, eadem dictis Matricis inferri curare.

5 Quantum vero attinet liberum ex religione Catholica ad confessionem Evangelicam transitum ratione hujus sancitum est:

6to Ut transire cupiens ejusmodi intentionem suam, in praesentia duorum a se electorum testium, coram illo Curato, ad cujus Parochialem jurisdictionem, — Communitatemhucdum pertinebat, enunciet, et

7mo Post quatuor septimanas, a praevia declaratione, — enunciatione, — computandas, in praesentia eorundem, vel etiamsi aliorum per se eligendorum testium, coram eodem Curato, novitus declarationem faciat, quod in declarata a Religione Catholica transeundi intentione porro permanserit; quo facto:

8. Idem transire cupiens sicut super prima, ita et secunda vice pronunciata declaratione sua, ab eodem curato distinctas expetat testimoniales.

9no Cujusmodi petitas testimoniale, si dictus Curatus, de quacunque causa non extradaret, attunc desideratas has, sicut super prima, ita et secunda declaratione testimoniales iidem testes extradent; quo testimonio provisus transire volens

10mo Illud illi Ministro exhibebit ad cujus confessionem transire desiderat, et sic transitus perfectus erit. Absque praemisso tamen testimonio transitus fieri non poterit.

11mo Denique ejusmodi transituum casus, per respectiva Officia Dioecesana, via Exc. consilii Regii suae Majestati semestraliter, pro notitia duntaxat repraesentabuntur. 1844. Art. 3.

Catholici in Schlavonia, Croatia et Dalmatia soli bona possidere, et munera gerere, officialesque agere possint. 1687. A. 23. 1715. A. 30. 1723. A. 86. 1741. A. 46. 1790. A. 26.

CAUSA ECCLESIASTICA.

Causas eccl. seculare, et seculares spirituale Forum non judicet, et dubio orto, ad quod forum Causa pertineat? Rex decidat. Sigism. D. 2. A. 14. D. 3. A. 12. Ulad. D. 1. A. 46. D. 3. A. 60.

Causas Dotis, parapherna, quartalitia, decimas, effusionem sangvinis, verberationes Clericorum, et mulierum, testamenta, matrimonia, perjuria, Forum spirituale judicet. Szilágyi D. A. 9. Math. D. 1. A. 3. et D. 2. A. 17. Ulad. D. 1. A. 46.

Causa nulla ad Papam, vel Nuncium, praeterito Dioecesano, vel Metropolita, nisi via appellationis deducatur. Ulad. D. 1. A. 45. et D. 3. A. 63., nisi talis nefors, quae ex privilegio in Regno judicari non possit. Ulad. D. 3. A. 63.

Causam suam nemo ad Archi Episcopum, vel ejus Vicarium, neglecto Dioecesano, tamquam Foro primae instantiae, sed tantum ut Forum appellatorium promoveat. Ulad. D. 2. A. 10. secus Causam amittat, et in quadraginta florenis auri, et expensis convincatur, et si nihil habuerit, in persona detineatur. *ibid.*

Causae coram Legato promotae, ad suos ordinarios judices reducantur. Ulad. D. 2. A. 10.

Causae ecclesiasticae tractentur juxta Uladislai Decretum tertium. Ulad. D. 4. A. 34., sonat vero Decretum isthoc *minus* dictum, de Octavarum, et brevium judiciorum celebrationibus, nec non Assessoribus eligendis, item de Proto Notarius, eorumque, et Assessorum juramentis. etc.

Causam ad Forum ecclesiasticum non pertinentem Vicarii, et S. Sedes non judicent. Ulad. D. 1. A. 46. et D. 5. A. 25.

Causae Ecclesiasticae coram Episcopo terminentur, et ab hoc ad Metropolitam appellentur. Math. D. 5. A. 17.

CC. EE. continuo judicentur. 1553. A. 22. 1556. A. 35. 1557. A. 9., et quidem juxta Decretum Mathiae, et Uladislai. 1559. A. 40.

Causae praeter matrimoniales tempore belli, Comitiorum, Insurrectionis, Messis, Vindemiae non judicentur. 1618. A. 70.

Judex Ecclesiasticus Causam Judici seculari avocanti sub amissione beneficii submittat; si tamen ad forum spirituale pertinere cognoscetur, hic eandem remittat. Ulad. D. 1. A. 46.

Causas matrimoniales Forum spirituale ad mandata Judicum Regni ordinariorum declinatoria transmittere non obligatur. 1618. A. 70. 1638. A. 31. 1647. A. 15.

Causae denique seculares non obstante quovis promisso, vel testamento, coram Foro seculari, non vero Ecclesiastico tractentur. 2dae 52.

Causae Ecclesiasticae sub Juristitiis nequaquam celebrentur, juxta Art. 70. 1618. Art. 29. 1723. demptis causis matrimonialibus, quae etiam in Juristitiis currunt. 1618. A. 70. 1647. A. 15. et 1723. A. 39. item Causis dotalitiorum, et paraphernorum, quae ductu. Ulad. D. 4. A. 16. sunt extraseriales; item si personae spirituales inter se litigent. Lud. 2. D. 4. A. 56.

Ceterum vide: *Forum, Judicium ecclesiasticum.*

CLAUSTRUM.

Vide: *Monasterium.*

CLERICUS.

Contra Clericum laicus testari non potest. S. Steph. D. L. 2. c. 3.

Clericus ut testis nisi in Ecclesia examinari potest. *ibid.*

Clericus secularis Judicis sigillo citari non potest. S. Ladisl. D. L. 3. c. 25. Colom. L. 1. c. 14. sed sigillo Episcopi citetur, et coram eo Causae ejus decurrant. Col. L. 1. c. 5. et 6.

Clericus si contra laicum litem habeat, hic sigillo Judicis citatur. *ibid.* c. 6.

De verberatione Clerici cognoscat Judex Ecclesiasticus. Szilágyi A. 9. Math. D. 1. A. 3. et D. 2. A. 17.

Clericus Decimas, et telonia non solvat. Szilágyi A. 10.

Clericus die Festo venationem faciens, usque satisfactionem ab Ordine descendat. S. Lad. D. L. 1. c. 12.

Clericus cum commendatitiis suscipiatur, receptus examinetur, et incusatus ab Officio cesset, donec se purgaverit. Col. D. L. 1. c. 3.

Clericus variegatis laicalibus vestibus non utatur. *ibid.* c. 70. veste enim seculari incedens, beneficium tenere non potest. Ulad. D. 3. A. 59. et D. 5. A. 27.

Clericus secularis si Abbas, vel Praepositus Regularium factus est; nisi intra annum vestem regularem Ordinis induerit, beneficium amittat. Ulad. D. 3. A. 58. et D. 6. A. 13.

Clericus cum seculari, excepta sententia capitali, vel emendae capitis, iisdem poenis subsit. 2dae 44.

Clericus contra secularem, vel vicissim agens, eandem mulctam subit. Math. D. 2. A. 14.

Cl. ab Ecclesia longius non discedat, secus decem pensas solvat. Col. L. 2. c. 12.

Clerico Concubina auferatur, et post poenitentiam Ecclesiae reddatur. *ibidem.*

Clericus si anserem, vel galinam furatus est, furto restituto, virgis cedebatur; siquid majus, degradatus, ab Episcopo jure communi judicabatur. S. Lad. L. 2. c. 13.

Clericus advena absque commendatitiis Episcopi sui, judicio, et testimonio discutiatur. *ibid.*c. 17.

Clericus Episcopo, vel Comiti adscriptus, ab eo non discedat, donec in audentia Regis, de injustitia conquestus fuerit. S. Lad. D. L. 1. c. 18.

Clericum Episcopus ad Diaconatum, et ultra non promoveat, nisi continentiam voverit, vel Uxor consenserit. Colom. D. L. 2. c. 9. secus conjugatus non sinatur Altari servire, nisi Uxore continentiam vovente, cui de vitae necessariis providebit. *item.* c. 10.

Bigamus, aut repudiatae maritus e Clero excludatur, et laicus fiat. Col. D. L. 1. c. 67. et L. 2. c. 4. et 9.

Clerus ob denegatam in natura decimam, poenam dupli non obtinet, etsi doceat, quod arendatio, et quietantiae super arenda sint cum clausula factae: *Absque praejudicio Successorum* etc. etiamsi summa per annos variaverit. Dec. Cur. P. 2. Sect. 3. Tit. 20. d. 1.

Ob denegatam in Fundis exstirpatitiis decimam, nisi usum in talibus docuerit, poenam dupli non consequitur. *ibid.* d. 2.

Clerus, et numerus personarum ecclesiasticarum augeatur. 1569. A. 36.

Clericus, vide: *Ecclesiasticus.*

CODICILLUS.

Codicillus ad valorem sui requirit tres testes. 1715. A. 27.

Codicillus per commorantes in exteris juxta usitatas ibi solennitates, sed fidedigne recognitas, fieri potest. 1729. A. 24.

Codicillum, vel Testamentum si condidit suicida mentis compos, — praeter pia Legata, — non tenet. Pr. Cr. P. 2. A. 69.

COEMETERIUM.

Coemeterium violans ad Octavas evocetur, et penes communem Inquisitionem condemnetur. Math. D. 3. A. 9.

Protestantes libera per Regnum Coemeteria habeant. 1790. A. 26.

CONCILIUM.

Concilium Generale ut per Papam quo ocyus Rex procuret, supplicant. SS. et OO. 1548. A. 13.

Concilium a Spiritu sancto inspiratum agnoscitur. 1550. A. 16.

In Concilio Constantiensi libertas conferendi beneficia jurejurando confirmata. 1mae 11.

CONCUBINATUS.

Concubina auferatur Clerico altari servienti, et post poenitentiam ecclesiae reddatur. Colom. D. L. 2. c. 12.

Concubitum, vel fornicationem exercens primo per Dominum terrestrem moneatur, secundo gravi corporis, vel pecuniaria poena puniatur, si nondum sapiat, virgis caedatur. Pr. Cr. P. 2. A. 81.

Vide: *Adulterium*, *Fornicatio*.

CONFESSIO.

Si moriens Confessionem peragere nolit, sine honore Ecclesiae, ut infidelis habeatur; excipe si Parentum negligentia, vel subitanea morte id factum. S. Steph. D. L. 2. c. 11.

CONGREGATIO.

Ad Congregationem proclamatam non comparens, in tribus marcis convincitur. Sig. D. 6. A. 7.

CONSANGVINITAS.

Consangvinitatis gradus quartus ad ineundum matrimonium utroque jure prohibitus est. 1mae 107

CONSENSUS.

Consensus parentum si firmet obligationem parapherni, ea invalidari non solet. Dec. Cur. P. 2. Sect. 1. T. 10. d. 3.

Si mater consensum ad dotem, etsi avita onerantem dedit, post mortem filii, nisi dolum fraudem, vim vel metum doceat, invalidari non potest. *ibib.* d. 2.

Consensus inefficax est, nisi fassio coram Judice producatur. 1mae 35.

CONSISTORIUM

Vide: *Forum, Judicium Ecclesiasticum, et Sacra Sedes.*

Consistorium Protestantium donec coordinatum fuerit, Magistratus Civilis, et Commitatus judicabit eorum Causas matrimoniales. 1790. A.26.

CONSVETUDO.

Consvetudo Regni a Judice observetur, neque in ullius favorem mutetur. Ulad. D. 1. A. 10.

Consvetudo nociva aboleatur. Albert. D. A. 4.

CONTRACTUS.

Contractus cum secularibus initos, superiores Religiosorum eorumque successores observent. 1715. A. 97.

Siquis Regnicolarum cum Episcopis, vel Ecclesiarum Praelatis, aliisque viris ecclesiasticis, ratione bonorum, et jurium possessionariorum quorumcunque, et praesertim ad Regem devol-

vendorum, aliquos Contractus, vel etiam aliqua obligamia fecisset, vel faceret in futurum, tales Contractus, taliaque obligamina nullius sint roboris, nisi siquis Praelatorum ad hujuscemodi bona aliquas pecunias dedisset, quae pecuniae reddi debent. Ulad. D. 3. Art. 65.

Contractus sub disturbiis fraude, dolo, vi, metuque extortus rescinditur. 1715. A. 53.

Contractus usurarius ipso facto nullus est. 1802. A. 21.

Contractus filii vel filiae familias citra parentum, et pupilli citra Tutorum consensum nullius sit roboris. *ibid.*

Contractus, quo bona Ordini religioso perennaliter addicuntur, etiam statutione firmatus non tenet. Dec. Cur. P. 2. Sect. 1. Tit. 8. d. 48.

Contractus dotalistici quibus avita nimis onerantur, in Foro Tabulari invalidantur. Dec. Cur. P. 2. Sect. 1. Tit 10. d. 1.

Contractus matrimonialis si initus, et sponsa contra dotem marito inscripsit, illa sine directis successoribus praemortua, contrados solvi debet. *ibid.* Tit. 19. d. 3.

Contractus matrimonialis, vel etiam stante matrimonio per virum aquisitorem cum uxore initus, ut illa de rata, medietate coaquisitionis libere disponat, viri testamento alterari non potest. *ibid.* Sect. 2. T. 1. d. 39.

Vide: *Matrimonium. Consensus.*

CONTUMATIA.

Judex ante occasum solis neminem ex contumacia convincat. 1723. A. 32. et si non feratur sententia ipsa die termini, convictus se opponere potest D. C. P. 1. Tit. 3. d. 2.

Sententiam contumaciae effugere non potest, qui non edocet Procuratorem se constituere non potuisse. *ibid.* d. 3.

Si elapso triduo Actor contumaciae sententiam petat, sed reus tardius, attamen ante latam Contumaciae sententiam compareat, citra rationem allegatam comparitio ejus acceptatur. *ibid.* d. 5.

De contumacia convictus, si rationes legitimas non comparitionis intra quindenam reddat, nullo onere gravari potest. *ibid.* d. 5. et. 6. ac 1723. Art. 32. secus illico executioni datur sententia. *ibid.* et 1729. A. 38.

Ceterum etiamsi intra quindenam sufficientem rationem non comparitionis non assignet, facta refusione expensarum, defensio in merito in continenti ei admittitur, secus in tota aquisitione Actoris convincitur. D. C. P. 1. T. 3. d. 13.

Si sententia contumaciae in causa plurium terminorum lata, et sufficientes non comparitionis rationes assignatae non fuerint, causa continuari potest, sed expensas morae non conparens, alteri parti solvere debet. 1729. A. 38.

Contumacia oppositione impediri potest per eum, qui rei publicae causa abest, et pro adornanda defensa brevis terminus eidem datus est. D. C. P. 2. Sect. 1. Tit. 28. d. 13.

COOPERATOR

Cooperator, Cappellanus lingvae hungaricae gnarus esse debet. 1840. A. 6.

Vide: *Capellanus. Altarista.*

CRIMEN LAESAE.

Crimen laesae Majestatis, et perduellionis pro eodem sumitur. 1715. A. 7.

Crimen laesae Majestatis incurrunt Correspondentes, vel commercium cum perduellibus foventes 1715. A. 49. item falsificatores monetae, sigilli regii, diffidatores, transcendentes muros Civitatis residentionalis, seditiosi contra Magistratum Principis. Pr Cr. P. 2. Art. 87.

Crimen hoc committens sive secularis. sive ecclesiasticus bona propria, cum beneficio, et *Caput* amittit. 2dae 12. 44. et 54.

In crimine hoc non est necessaria Citatio 1715. A. 7. et 1723. A. 5. judicatque illud Tabula Regia. 1790. A. 56. et nunquam antiquatur. Pr. Cr. P. 1. Art. 43.

CRUCIFIXUS.

Crucifixum, vel imaginem armis blasphoemans, confrontetur cum testibus, et si negare ausus, torturae subjiciebatur. Pr. Cr. P. 2. Art. 59.

Crucifixum siquis de proposito blasphoemia affecit, forcipibus ignitis lora ex eo detrahebantur, ad locum suplicii raptabatur, manus, et lingva obscindebatur, et corpus igne cremabatur. *ibid.*

DEBITUM.

Debitor jure convictus expensas solvat. 1659. A. 31. 1723. A. 32.

Si debitor debitum offerat, et creditor sine causa levare renuat, lite orta, a tempore oblati debiti, nec censum, sed nec expensas solvit. D. C. P. 2. S. 2. T. 5. d. 3.

Si debitor ob irrealitatem debiti, vel alia ex causa absolvatur, nisi eveniat, creditorem vexandi studio litem movisse, expensas non solvit. *ibid.* d. 21.

Si tamen debitor quietantias produxit, Actor expensas solvit. *ibid.* d. 22.

Si praetensum debitorem actor pure vexandi studio evocet, et nihil probat, expensas solvit. *ibid.* d. 25.

Debitor in fundamentali, et novi processu succumbens Actori expensas solvit. *ibid.* d. 27.

Debita in Comitatibus, et Civitatibus, ubi debitores bona habent, intabulantur. 1723. A. 107. si vero in oppidis, et dominiis intabulentur, intabulatio non tenet. D. C. P. 2. S. 2. T. 5. d. 33.

Debitum intabulatum post convictivam licet sententiam, ante executionem tamen alterius, praeferentiam habet. *ibid.* d. 16.

Debita aliqua ex pluribus creditoribus lite per unum mota, si aliquis intabulari curet, intabulatio tenet. *ibid.* 34.

Debita intabulata ratione prioritatis intabulationis, non intabulata ratione temporis contracti debiti etiam quoad census praerogativam sortiuntur. *ibid.* d. 1.

DECIMA.

Decima Deo danda, S. Steph. L. 2. c. 52. ea competitit Episcopo de omnibus. S. Lad. D. L. 1. c. 40. Ulad. D. 6. Art. 15. et Praelatis a propriis subditis competit. Lud. D. Unic. Art. 6. quae non obstantibus quibusvis abusibus, omnibus Praelatis integra solvatur. Ulad. D. 2. A. 37. *item* 1604. A. 14.

Decimae in Comitatibus Cis-Tibiscanis Bethlenio cessis, cedant ecclesiasticis possessoribus. 1622. A.29. 1647. A.20. in Comitatibus tamen trans-Tibiscanis, et Transylvanicis pro conservatione confiniorum cedant Principi Transylvaniae, et Statui ecclesiastico Rex eas compenset. *ibid.*

Filius cum Patre indivisus det simmul decimam, divisus, et servi seorsim. S. Lad. D. L. 1. c.40.

Decimas solvant Rutheni praedia decimis obnoxia ementes. Ulad. D. 4. A. 29.

Rutheni, vel Valachi suis Episcopis decimam dare debere agnoscuntur. 1574. A. 4 et 1575. A. 8.

Decimam solvit Nobilis a terris colonicalibus, item Parochis in Scepusio etiam de propriis Fundis. 1563. Art. 70.

Decimam non solvit Nobilis. Alb. D. A. 28. Szilágyi D. A. 10. Ulad. D. 1. A. 50. 1563. A. 70. 1574. A. 22. neque de terris Colonis acceptis. 1563. A. 70. huc intelliguntur etiam Nobiles praediales. Ulad. D. 4. A. 29. — Sacerdotes, et Scholares Szilágyi D. A. 10. item Nobiles, ac Ecclesiastici neque a vineis in proprio territorio sitis solvunt. 1563. A. 69. 1574. A. 22. et 29. 1575. A. 8.

Decimas ad solvendas Rasciani, et Schismatici interdicto non cogantur. Math. D. 5. A. 3. sed id annis solum aliquot, ut alliciantur. *ibid.* A. 4.

Rasciani, Rutheni, Valachi decimas non solvant. Ulad. D. 2. A. 45. D. 4. A. 29. item. 1569. A. 28. 1574. A. 4. 1575. A. 8.

Decima desumatur solum ex vinis, frugibus, agnellis, apibus, millio, siligine, hordeo, avena. Math. D. 5. A. 1. juxta Uladislai Decretum. 3. Art. 51. desumenda est solum e Frugibus, vinis, siligine, hordeo, avena, et spelta.

Decimam, et nonam a subditis suis e vino, et frumento desumat Episcopus, et personae ecclesiasticae. Ulad. D. 1. A. 48.

Decimam non solvunt Fundi Parochiales. 1647. A. 95.

Decimam amittit Praelatus, Parochum invito Patrono confirmans, eaque conservationi finitimorum castrorum applicatur. Ulad. D. 5. A. 26.

Decimae arendari possunt. 1647. A. 95.

Decimae Praelatorum, et ecclesiasticorum intuitu arendae reliquantur in statu quo. 1553. A. 7. item 1557. A. 12. et 1563. A. 68.

Decimas possidens Praelatus,, si a veteri decimae conductore pecunias acceptare noluit, iis ad manus judiciarias depositis, decimam tollit. 1647. A. 95. 1655. A. 89.

Si facto possessoris decima cariori pretio exarendata fuit, dein vero possessor petat ad usum antiquum reponi, novus usus arendae stabilitur. D. C. P. 2. S. 3. Tit. 20. d. 10.

Decimam in natura ab immemoriali non desumptam si doceat possessor, summam arendatitiam offerens, actoratus Praelato ad duplum denegatur. *ibid.* d. 5. — Vide: *Usus.*

DEHONESTATIO.

Dehonestatio Judicis poenam violationis Sedis judiciariae, vel emendae parit, minori onere illico redemtibilem. 1635. A. 89. 1647. A. 16. 1649. A. 94. 1723. A. 57. haec vero etiam extra Sedem commissa violationem Sedis parit. 1649. A. 94. 1655. A. 108. et 1723. A. 57.

Dehonestationis poenam non incurrit pars collitigans, si in altioribus Foris expositionem injuriosam faciat. D. C. P. 2. S. 3. Tit. 7. d. 3.

Dehonestator hominis Capitularis vel Regii occasione executionis in marca Auri 72. flnorum convincitur. Ulad. D. 2. A. 9.

Dehonestator respectu plurium Actorum, et dictorum Actione conveniri, et de singulis in centum flnis convinci potest. 1723. A. 57.

Judicem dehonestans in Actione centum flnis convincitur. *ibid.* item 2dae. 72.

DELATIO.

Delator delationi nomen subscribat, ut plecti possit, secus delatio anonima non acceptetur. 1805. A. 5.

Delator iniquus, vide: *Calumnia*, *et Dehonestatio.*

DIACONUS.

Diaconus, vel Presbyter bigamus peracta poenitentia, reducatur ad ordinem, reluctans degradetur, et foemina dimissa nubere possit. S. Lad. D. L. 1. c. 1.

Diaconus altari servire non sinatur, nisi uxor consentiens continentiam voverit. etc. Col. D. L. 2. c. 10.

DISPENSATIO.

Dispensationem Protestantibus in gradibus prohibitis Rex largitur. 1790. A. 26.

DIVORTIUM.

Divortium quoad vinculum Episcopus non teneatur agnoscere, si inter Protestantes sententiam Judex secularis tulit. 1790. A. 26.

Divortium sub Josepho per Judicem secularem pronunciatum, omnes effectus Civiles habeat. *ibid.* A. 55.

Vide: *Matrimonium*, *Causa*.

DOS.

Dotem judicat Forum spirituale. Szilágyi D. A. 9. Math. D. 1. A. 3. et D. 2. A. 17. Ulad. D. 1. A. 46.

Uxores dote quomodocunque concumbentium non fraudentur. Andr. D. Art. 12.

Dos datur ex bonis mariti uxori ob deflorationem. 1mae 93; haec tamen a primo marito integra, a secundo dimidia, et sic porro cum diminutione competit. *ibid.* 96.

Contrados marito per sponsam contractu sponsalistico si stipulata sit, mortua sine haeredibus conjuge, solvi debet. D. C. P. 2. S. 1. Tit. 19. d. 3. quam maritus deficientibus aquisitis, etiam ex avitis obtinet. *ibid.* Sect. 2. Tit. 6. d. 22. si vero per Uxorem inscripta certo fundo inhaereat; maritus praemortua uxore, praeter mobilia, eam a successoribus requiret. *ibid.* Tit. 7.

Dotem cum paraphernis etiam fratres ex bonis sexum masculinum concernentibus exolvere, et filias intertenere, ac elocare debent. 1mae 67. in defectu vero Fundi etiam ex pignoratitiis, praesertim si inscia uxore impignorata sunt, extrahi potest. *ibid.* 103.

Dotem mulieris etiam legitimi successores haereditant. 1mae 93.

Dotem Matris, vel Aviae, non tamen utriusque, seu et Matris, et Aviae, puella petere potest. 1mae 96. et 97.

Solam dotem habens vidua in bonis, instrumenta literaria haeredibus sub juramento resignare debet, damnum desolatione bonorum maritalium illatum, ex dote reparet, si bona alienavit, foenerator pecuniam amittit, si nupsit, bona cedere debet. 1618. A. 61. 1622. A. 67. 1647. A. 105. 1655. A. 25.

Viduae scriptam dotem non habenti competit etiam intertentio, et residentia. D. C. P. 2. Sect. 2. T. 9. d. 16.

Si tamen vidua bonis maritalibus immanens, dein ad alia vota transeat, non ex aquisitis, sed

ex avitis dotem accipit. *ibid.* d. 26. In defectu vero Fundi omnes Creditores praecedit. *ibid.* T. 5. d. 36. et Tit. 6. d. 20.

Mortua uxore dos per propingvos ejus a marito praetendi potest. *ibid.* T. 6. d. 7. Ordinarie tamen cedit marito. D. C. P. 2. S. 2. T. 6. d. 7.

Vidua vero filii indivisi, si pater contractum dotalisticum non subscripsit, a sacero dotem praetendere non potest. *ibid.* d. 23.

Si mulier marito ex metu dotem relaxavit, etiamsi fassio superinducta, non valet. 1mae 109. quamvis possit quandoque etiam in articulo mortis relaxare. *ibid.*

Dotem uxor non amittit ob delictum mariti. 1mae 104. et 2dae 60.

Dotem, et parapherna retinet uxor consangvinea, vel affinis a viro divortiata, si matrimonium ignoranter contraxit, si vero scienter, dotem, non item parapherna amittit. 1mae 106.

Dotem non vero parapherna, vel res a marito acceptas amittit adultera, si maritus delictum non approbavit. 1mae 105., si vero eidem maritus adulterae cohabitet, vel delictum approbet, dotem recipit. *ibidem.*

Dotem cum paraphernis amittit uxor, si ad ea levanda, bonaquae remittenda, terminum ob fructus tollendos fraude distulit, neque facti rationem redere potuit. 2dae 24. prout et amittit ob sententiam emendae Capitis. *ibid.* 43.

Causa dotis, ac paraphernorum extra seriem judicatur. Ulad. D. 4. A. 16.

EBRIETAS.

Ebrietas improvisa huic vitio non dedito alleviat poenam Pr. Cr. P. 1. A. 44.

ECCLESIA.

Decem villae Ecclesiam aedificent, quam duabus mansionibus, totidemque mancipiis dotent, equo, et jumento, sex bobus, et 2. Vaccis, 34. minutis bestiis; vestimenta, corporalia coopertoria Rex provideat; Presbyterum, et Libros Episcopus. S. Steph. L. 2. c. 34.

Sancta Romana et Catholica Ecclesia longo tempore per universum Orbem Christianum recepta, quae unica est, et sibi perpetuo constans, — errare non potest. 1550.

Ecclesiae potestatem laici non habeant. Colom. D. L. 2. c. 11. in eam nec Comes, nec Banus quidquam sibi arroget. Math. D. 6. A. 37. sed solus Episcopus in eam habet potestatem. Colom. D. L. 1. c. 65.

Ecclesia penes triplicem inquisitionem possessiones acquirere non potest, sed privilegiales Literas Regis producere debet. Math. D. 6. A. 57.

Dotes cujuscunque possessionis Monasteriis, seu Ecclesiis, a Beato Stephano Rege L. 2. c. 34. dispositae inconvulsae remaneant. Col. C. L. 1. c. 1. S. Lad. D. L. 1. c. 5.

Ecclesiam e manibus laicorum vindicet Rex, neque ulli conferat. 1537. A. 19.

Bona Ecclesiae ab omnibus taxis libera sint. Alb. D. A. 19.

Nobiles Ecclesiae nulli colectae Regis subsint. Andr. D. A. 3.

Ecclesia Parochialis in sua immunitate conservetur. 1536. A. 51.

Ecclesiae proventus si diminuti sunt, ante restitutionem dimidium cathedraticum solvat. Ulad. D. 4. A. 38. secus integrae integrum, dimidiae dimidium cathedraticum Archi-Diacono solvant. *ibid.* D. 3. Art. 53.

Ecclesiae earumque supellex a subsidio praestando eximuntur. 1807. A. 2. solvant tamen centesimam a capitalibus. *ibid.*

Ecclesia insurgere obligatur. Alb. D. A. 19.

Ecclesia ne detrimentum capiat, Rex curabit. S. Steph. D. L. 1. c. 2.

Bona Ecclesiae sub poena actus potentiarii intra quindenam restituantur. Szilágyi D. A. 1.

Ecclesiam violans morte puniatur. Lud. 2di D. 4. A. 36.

Res Ecclesiae, etsi apud aliam Ecclesiam repertae, ad suam redire debent. S. Lad. D. L. 1. c. 24.

Ecclesias contemnens, possessionesque Deo dicatas infringens, et invasor domus Dei excommunicetur. S. Steph. D. L. 2. c. 1.

Ecclesiarum Dei et decimarum privata authoritate ablatores citra processum plectantnr. 1546. A. 25.

Ecclesias spolians miles, bona, et caput amittat. 1595. A. 27.

Ecclesiam infringentes occasione insurrectio-

nis ad octavam evocentur, et penes communem inquisitionem judicium recipiant. Math. D. 2. A. 28. et D. 3. A. 9.

Ecclesiam si infringat Capitaneus insurgens, vel victualia inde auferens, si Nobilis est, bona amittat, si ignobilis, comburatur, idque per capitaneum exercitus supremum executioni detur. Math. D. 6. A. 61.

Ecclesia desolata Cathedraticum non solvat, sed Episcopus de tali provideat. Ulad. D. 4. A. 38.

Ecclesias desolatas Rex reparabit. 1715. A. 60.

Ecclesias per Ecclesiasticos desolari permissas, Rex ex sequestratis eorum proventibus reparari procurabit. 1723. A. 71.

Ecclesiam propriam si dereliquerunt villani, mandato regio redire cogantur. S. Lad. D. L. 1. c. 19.

Dedicationem Ecclesiae quaevis Parochia celebret. P. Lad. D. L. 1. c. 38.

Reconciliatio Ecclesiae, si violatio ejus per gentes Majestatis facta, per Regem, si per privatorum, per hos procuretur. Math. D. 6. A. 61.

Res Ecclesiarum mobiles Rex vindicet. 1567. A. 31.

Res et bona Ecclesiarum seculares non occupent. Sigis. D. 6. A. 21

Ecclesia fuit asylum furum. S. Lad. L. 2. c. 1. et ad eam confugiens fur, servus ejusdem fiebat, quem si Presbyter emancipasset, ipse servus factus Ecclesiae, fur manumissus venumdabatur in exteris, et si redisset, oculis orbabatur. S. Lad. L. 3. c. 4.

Ad Ecclesiam confugiens fur, se innocentem praetendens, judicio subjiciebatur, si reus deprehensus, tanquam nec ad Ecclesiam fugiens, lege S. Stephani judicabatur. *ibid.* c. 17.

Ecclesiae asylum, furem furtum confitentem a mutilatione solvet, neganti convicto nihil opituletur. Colom. D. L. 1. c. 84.

ECCLESIASTICUS.

Ecclesiasticus duo beneficia possidere non potest. Math. D. 3. A. 13. Ulad. D. 3. A. 56. item D. 6. A. 13. ac D. 7. A. 59. Lud. 2di D. 2. A. 15. nec non 1548. A. 6. 1723. A. 55.

Relate ad hunc titulum Vide: Beneficium ecclesiasticum.

Successor Ecclesiastici in beneficii proventu est Rex. quoad novam collationem. 1mae 10.

PRIVILEGIA CLERI.

Ecclesiastici eodem cum Magnatibus, et Nobilibus jure gaudent. 1mae 2.

Ecclesiastici, et Nobiles etiam in partibus maritimis pari jure gaudeant. 1647. A. 57.

ECCLESIASTICUS.

Ecclesiastici ab omnibus taxis liberi sunt, praeter insurrectionem. Alb. D. A. 19.

Ecclesiastici beneficiati, Parochi militi quarterium dare non tenentur. 1715. A. 43.

A vineis suis decimas non solvant. 1574. A. 22.

Tributa, et taxas non solvant. sed more antiquo insurgant. Math. D. 3. A. 24.

Privilegia Ecclesiasticorum inviolabiliter observentur. 1557. A. 10. 1647. A. 102.

In confiniis domos habentes a condescensione militum sint liberi. 1618. A. 58. 1635. A. 46. 1638. A. 44.

Possessiones aquirere vel retinere solum penes privilegiales literas regias possunt. Lud. D. A. 20. Math. D. 6. A. 57. Ulad. D. 1. A. 77.

Ecclesiastici a subditorum vineis, et frumento nonam, et decimam desumant. Ulad. D. 1. A.48.

Ecclesiastici Tricesimam non solvant. Ulad. D. 3. A. 35. item neque telonia, neque decimas solvant. Szil. D. A. 10. et 1574. A. 22.

Ad loca tributorum, et vadorum sub poena homagii vivi, ire non compellantur. Ulad. D. 1. A. 85.

Beneficia ex collatione regia possidentes intuitu testamenti, vel facultatem testandi petant, vel Kolonichianae conventioni se accommodent. 1715. A. 16.

Ecclesiastici officium Comitatus gerere non possunt. Ulad. D. 3. A. 57., si vero illud jure perpetuo ex privilegio sibi competere praetendant, privilegium producant, illoque cassato, seculari dignitas conferatur. Ulad. D. 3. A. 57.

Ecclesiastici etiam sub juristitio insurrectionali inter se libere litigent. Lud. 2di D. 4. A. 56.

Ecclesiasticus extraserialitate gaudebit, si testimonium Vicarii de tenuitate beneficii, et Comitatus de exiguitate possessorii produxerit. Dec. Cur. P. 1. T. 5. d. 21.

Ecclesiastici beneficia accipientes, pro literis

suis pro arbitrio liberalitatem suam exhibeant. 1609. A. 73. et 37.

Ecclesiastici decimas in natura exigere possunt, neque teneantur eas exarendare. 1548. A. 60. Lud. D. A. 6.

Decimam pro anno amittant, si eam ante festum Georgii alteri quam Domino terrestri elocaverint. 1548. A. 61. si tamen de censu cum Domino non convenerint, libere in natura exigere, vel alteri elocare possint. *ibidem.*

Ecclesiastici ob jura possessionaria obligantur praestare homagium fidelitatis. 1mae 12.

Sub animadversione regia in beneficiis suis resideant. 1723. A. 55. 1741. A. 16.

Ecclesiastici beneficiati si Ecclesias desolari sinant, Rex ex proventibus eorum sequestratis restauret. 1723. A. 71.

Ecclesiasticus in suo, aut aliorum negotio Romam proficiscens de patrimonio suo praevie tantum Regi, et S. Coronae inscribat, quantum beneficium annue infert, si patrimonio tanto careat, a Pontifice literas assecuratorias impetret, quod beneficium ejus in casum mortis, in Regno salvum maneat. Ulad. D. 7. A. 65.

Ecclesiastici more antiquo insurgant, cum suis banderiis militent. Math. D. 3. A. 24. et Lad. Posth. D. 2. A. 3.

Ecclesiastici a personali insurrectione eximuntur quidem, sed non eximuntur a statutione equitis, vel peditis, ratione proventuum. 1808. A. 1.

Ecclesiastici banderia, et militem ad in-

surrectionem statuant, tenore Legum, et articulorum sub Titulo **Abbas** *expositorum.*

Ecclesiastici ratione possessionis, et actuum civilium subsunt judicio seculari. Imae 12., imo contra seculares, et vicissim agentes paribus mulctis subsint. Math. D. 2. A. 14. et D. 6. A. 72. Ulad. D. 1. A. 76. et D. 7. A. 32.

Ecclesiasticus domum nobilitarem invadens, bona occupans, arestans, detinens, verberans, vulnerans, occidens Nobilem, Judicem etc. emendam capitis incurrit. 1723. A. 10.

Ecclesiastici non sententiae capitalis, sed emendae capitis poenam incurrunt. 2dae 42.

Si crimen laesae Majestatis, notam infidelitatis, homicidium, latrocinium cum depraedicatione deliberate committant Clerici, beneficium, caput, et bona propria (demto casu ultimo) amittunt. 2dae 44.

In aliis vero casibus ecclesiasticus, et secularis pari poenae subsint. 2dae 44. Ulad. D. 1. A. 76. item 1647. A. 16.

Ecclesiasticus debita sua in parato solvere debet, secus ex proventibus beneficii desumuntur. 2dae 45.

Damna illata reparet pecuniis, vel rebus mobilibus juxta aestimationem condignam aestimatis, vel ex proventibus beneficii. *ibid.*

Si officialis ecclesiastici ex commissione, vel qua officialis actum potentiarium committat, vel damnum inferat, si convictus fuerit, ex bonis beneficii satisfactio impendatur. *ibid.* 48. si

vero absque commissione talem patravit, dominus habet jus, ex privatis officialis bonis sibi satisfaciendi. *ibid.*

Ecclesiasticum in Comitiis querulantem occidens, damnificans, notam incurrebat. 1647. A. 114., hodie poenam actus majoris potentiae incurrit. 1723. A. 10.

Conscriptio, et subdivisio substantiae defunctorum Ecclesiasticorum, non solum per respectivas Camerales, et ecclesiasticas personas exclusive, sed cum interventu etiam concernentium consangvineorum debito tempore edocendorum, peragatur. 1840. A. 26.

Ecclesiasticae cujusvis Religionis Personae, — Monachi quoque, — litteras cambiales edere non valent, neque semet obligationibus cambialibus subjiciendi facultatem habent. 1840. A. 15. C. 3. §. 11.

Ceterum vide: *Episcopus, Judex Ecclesiasticus. Capitulum. Abbas. Clericus. Parochus. Privilegium Cleri.*

EDUCATIO PROLIUM.

Educatio filiorum, vel pupillorum si mala sit, Comitatu negligente, parentes, vel Tutores per Consilium Regium moneantur. 1723. A. 105.

EDUCILLATIO.

Educillatio, et praeparatio omnium liquorum per totum annum dominium terrestrale solum concernit. Urb. P. 6. §. 4.

Epocillationem usu antiquo habens Nobilis, si ad privationem ejus Civitas, vel praecipuus

compossessor procedat, coram V. Comite, judicatus hujus condescendit. Dec. Cur. P. 2. S. 3. Tit. 22.

ELEEMOSYNA.

Eleemosynae Protestantium ne adimantur, ademtae restituantur, et administratio fiat per eos, ad quos spectat, salvo jure inspectionis supremae. 1790. A. 26.

EMENDATIO.

Si post datam veniam, vel admonitionem emendatio secuta non est, poena delinquentis aggravatur. Pr. Cr. P. 1. A. 45.

EPISCOPUS.

Vacantes Episcopatus Rex conferat. 1567. A. 24. 1606. A. 5. Ulad. D. 7. A. 24.

Episcopus Ecclesiis praeficiatur, qui verbo, et exemplo plebem doceat. 1548. A. 6.

Episcopi honorentur. S. Steph. D. L. 1. c. 3.

Seculares omnes sine ulla controversia, aut disputatione, contentioneque, obedientes se se praebeant Episcopis, et ad id per eos delectis Ministris, in his videlicet, quae ad Deum, ejusque cultum spectant, neque contra eorum doctrinam quovis modo, aut quavis ratione sese audeant effere, sed si quid deliberatione egere, aut in disputationem vocari posse, ipsis, vel eorum forte alicui videretur; relinquant id totum Generali Concilio dirimendum. 1550. A. 16. et. S. Steph. L. 1. c. 3.

Episcopus decimam accipit. S. Lad. D. L. 1. c. 27. et 40. Colom. D. L. 2. c. 5. et 1548. A. 60.

Episcopus solutionem vinculi matrimonialis inter Protestantes per Judicem secularem adinventi agnoscere non cogatur. 1790. A. 26.

Per Abbatem ad Monasterium cum personis quibuscum illi intrare videbitur admittatur. S. Lad. D. L. 1. c. 35.

Episcopus solus in Ecclesiis habet potestatem. Colom. D. L. 1. c. 65.

Episcopi equis Regalibus decimas non solvent, nec subditi eorum decimas ad praedia regalia ferre teneantur. Andr. D. A. 21.

Episcopus Capitulum sub sua jurisdictione, vel loca residentiae habens, in conventu Baronum et Praelatorum votum, et sessionem habet. 1608. A. 1.

Jura vero possessionaria episcopalia in Regno non habentes, ad consilia non adhibeantur. *ibid.* A. 6. et 1647. A. 99.

Episcopus Visitatores constituere, et Synodos celebrare possit. 1559. A. 41

Episcopi in suis beneficiis resideant, et reluctantes Rex compellet. 1548. A. 6. 1723. A. 55. 1741. A. 16. si vero publicis officiis a residentia impediantur, vicarios idoneos constituant. 1548. A. 6. 1550. A. 13.

Episcopi de subsistentia Parochorum prospiciant. 1723. A. 71.

Episcopus res ecclesiasticas secundum Canones dispenset, provideat, regat ac gubernet. — — Laici Episcoporum ministerio obediant, con-

sentientesque sint Judices, et Comites Praesulibus ad justitias faciendas juxta praecepta Legis Divinae. S. Steph. D. L. c. 2.

Episcopi, Archi, et V. A. Diaconi praedicatores Verbi Dei pro reducenda Religione vera dimittant. 1548. A. 6. 1550. A. 13. ac in omnibus villis, et oppidis Parochos constituant. *ibid.*

Providebunt, ut ex bonis desolatarum Ecclesiarum, Parochi, Magistri, et studentes subsidium accipiant. 1548. A. 12.

Episcopus bona Ecclesiarum revindicet. 1550. A. 20. 1557. A. 11. Scholas erigat. 1548. A. 6.

Presbyterum, et liberos ejus providebit. S. Steph. D. L. 2. c. 34. Ecclesiam desolatam reaedificabit. S. Lad. D. L. 1. c. 8. et libris providebit. *ibid.* c. 7.

Episcopi Parochos demtis pauperioribus pro Insurrectione taxabunt. 1741. A. 63. 1542. A. 35. et 27.

Episcopus sui Episcopatus Presbyteris (ubi usus est sedecimae) dat quartam decimae pecorum in alio Episcopatu progenitorum. S. Lad. D. L. 1. c. 33.

De Sacerdotibus pro publicis expeditionibus in Conventu, et Capitulo, eorumque subsistentia provideat. 1723. A. 39.

Monasteria Monialium, et Monachorum visitabit. S. Lad. D. L. 1. c. 21., prout et Abbatias, ac Praepositaras. Math. D. 6. A. 12.

Episcopus tenetur decimam in natura acceptare. Andr. D. A. 20.

Parochis sedecimam det. Ulad. D. L. 3. A. 50.

Episcopus populo verbo, et exemplo praesit 1550. A. 13.

Episcopus violationi decretorum conivens, a Rege, vel Synodo judicabatur. S. Lad. D. L. 1. c. 4.

Episcopus unum tantum beneficium possideat. 1548. A. 6.

Absque titulo certi loci neminem, monachum, vel monialem ordinare audeat. S. Lad. D. L. 1. c. 21.

Episcopi contra Nobiles litigantes sine placeto regio adversarios suos excommunicare non possint. Lud. D. Un. A. 1. secus causa cadentes, eadem poena afficiantur, qua ipsi adversarios affici volebant. *ibid.*

Episcopi non sinant Parochos a comparitione ad Synodum (*Congregationem*) se redimere. Ulad. D. 2. A. 68.

Si Episcopus de bonis ad Fiscum devolvendis contraxit; contractus nullus est, etiam consensu regio superinducto, sed pecunia restituitur. *ibid.* A. 65.

Episcopus interdicto non possit afficere nolentes solvere decimam, si Nobiles Decimatori adnexi incassum Episcopo de injustitia decimatoris retulerunt. Math. D. 6. A. 40.

Episcopus bona secularia impetrare, vel emtione, pignore acquirere, Episcopalia alienare non potest. Lud. in confirm. D. Andr. §. 11. Ulad. D. 3. A. 55. et 65. item. 1647. A. 17. et 1715. A. 16.

Episcopus est forum primae instantiae in causis suae Dioecesis, quod praeteriri non potest. Ulad. D. 2. A. 10.

Episcopo adsint Judices seculares in executione justitiae. S. Steph. D. L. 2. c. 2.

Episcopi olim judicabant parricidas. Col. D. L. 1. c. 50. raptus. *ibid.* c. 59. et adulteria. *ib.* c. 61.

Episcopi exteri, episcopatum in Hungaria habentes mille aureorum taxam indigenalem solvant. 1741. A. 17. et 1790. A. 70.

Episcopi non Uniti votum, et sessionem in Diaeta habeant. 1792. A. 10.

Vide: *Praelatus.*

EUCHARISTIA.

Eucharistia pridie executionis condemnato ad mortem porrigatur. Pr. Cr. P. 1. A. 51.

EVANGELICUS.

Evangelici duo cum duobus Catholicis pro Palatino candidentur. 1608. A. 3. et 1790. A. 26.

Evangelici, ubi Catholici templa eorum retinuere, ecclesias, scholas, parochias erigere possint, et fine hoc Domini terrestres ipsis Fundum, ab omnibus oneribus liberum assignabunt. 1647. A. 10. et 1790. A. 26.

Evangelici promissa a Catholicis templa recipiant, et vicissim Catholicis tradenda tradant. *ib.*

Ad intertentionem Parochorum Catholicorum non concurrant, sed proprios solum Pastores alant. 1647. A. 11. et 12. item 1790. A. 26. Sto-

lam vero in loco Ministris suis, non vero Parochis Catholicis pendant. *ibid.*

Sepulturae, et campanarum usum, erga eandem taxam habeant. *ibid.*

Intuitu judicii in causis matrimonialibus in usu consveto permaneant. *ibid.*

Intuitu Religionis unice a Superioribus religionis suae dependeant. 1790. A. 26. Superiorum tamen, et disciplinae coordinationem Rex sibi retinet. *ibid.*

Vide: *Protestans.*

EXCOMMUNICATIO.

Excommunicatione afficiantur violatores ecclesiarum, rerum, ac jurium ecclesiasticorum. S. Steph. D. L. 2. c. 1., item Machinator in Regis salutem, et dignitatem. *ibid.* c. 51., sed etiam talem non deferens. *ibid.* et Colom D. L. 2. c. 6.

Excommunicationem absque scitu Regio Praelati, contra Nobiles secum litigantes pronunciare non possint. Lud. D. A. 1.

Excommunicationem incurrit possessionem Ecclesiarum infringens. S. Steph. L. 2. c. 1.

In ea Judex est S. Sedes. Math. D. 1. A. 3.

EXECUTIO SENTENTIAE.

Executionem Sententiae fori spiritualis peragat Comitatus, sive respectivus Judex secularis. 1552. A. 25. 1588. A. 45. et 1596. A. 55.

Executionem Sententiae Fori spiritualis facere negligens Judex secularis, ex bonis ejus satisfactio fiat. 1662. A. 29.

Executio Sententiae S. Sedis si fiat per seculare Forum, etiam expensae adjudicantur. Dec. Cur. P. 2. Sect. 3. Tit. 25.

Ceterum vide: *Sententia.*

FESTUM.

Die Festo majori ad Ecclesiam non veniens, verberetur, si villa sit ab Ecclesia remota, adminimum unus cum tribus panibus, et candela pro altari compareat. S. Lad. D. L. 1. c. 11.

Die festo venans, canes, et equum amittat, equum tamen bove redimere possit. *ib.* c. 12. Si vero Clericus, vel Presbyter fuerit, usque satisfactionem ab Ordine descendat. *ibid.*

Festo mercatum exercens equo careat. *ibid.* c. 15. et juxta Colom. D. L. 2. c. 13. quadruplum solvat, et poeniteat.

Festum non sanctificans duodecim diebus in pane, et aqua jejunet in cyppo. S. Lad. D. L. 1. c. 25.

Festum violans, si liber est, tribus diebus poeniteat, si servus; septem plagis mulctetur. Col. D. L. 2. c. 14.

Festo laborans Judaeus instrumenta amittit. S. Lad. D. L. 1. c. 26.

Festos dies Catholicorum Protestantes pro foro externo teneantur observare, et sub poena Actionis Fiscalis servos suos ad labores strepitosos non cogant. 1790. A. 26.

Die Festo B. M. Virgini nundinae non habeantur; excipe Bona Archi Episcopi Colocensis et Episcopi M. Varadinensis. Math. D. 2. A. 25.

Die Dominico laborans amittit instrumenta, bovem, et equum, quem bove redimere potest, et hic manducetur a civibus. S. Steph. D. L. 2. c. 7.

Die Dominico ad Ecclesiam non veniens, nisi ignem custodiat, vapulet, et radatur. *ibib.* c. 8. et S. Lad. D. L. 1. c. 11.

Eo die mercatum exercens, susceptum opus destruat, et renuens id facere quinquaginta quinque pensas solvat. *ibid.* c. 16.

Dies Dominicus est Juristitionalis. 1723. A. 29.

FIDES CHRISTIANA.

Fidei christanae violator secundum Canones ab Episcopo primum puniatur; poenae huic se opponens, eadem septem vicibus reiteretur, et si nec tunc sapuit, judicio seculari tradatur. S. Steph. D. L. 2. c. 12.

FILII PRESBYTERORUM.

Filii Presbyterorum Graeci Ritus in statum colonicalem non redigantur, sed si capaces sunt, ordinari possunt. 1723. Art. 69.

Presbyterorum Graeci Ritus filii Fundum colonicalem colentes, dominio juxta conventionem omnia praestent, et onera communia omnia ferant. *ibid.*

FORNICATIO.

Ancilla per liberum, vel servum impraegnata, si ante partum moriatur, servus ipse vènumdetur, dimidia pars Domino servi, dimidia Do-

mino ancillae cedat. S. Steph. D. L. 2. c. 26. quam tamen si ducat impraegnator servus, liber fiat. *ibid.* c. 27.

Ancilla apud Presbyterum loco uxoris existens, si id ipse Dominus noluerit facere, vendatur, et pretium Episcopo detur. S. Ladisl. D. L. 1. c. 2.

Ceterum vide: *Adulterium Concubinatus.*

FORUM SPIRITUALE.

Vide: *Sacra Sedes.*

FUNDATIO PIA.

Fundationes pias inspiciendi Rex jure supremae inspectionis sibi reservat. 1715. A. 74. 1723. A. 70. et 105.

Fundationes piae ut effectum habeant, Rex jure Patronatus supremi curabit. 1790. A. 23.

Fundationes, prout in earum usu Catholici, vel Evangelici fuerunt, ita permittantur. 1790 Art. 26.

Protestantibus non adimantur, et si ademtae fuerint, restituantur, et per eos, ad quos pertinent, salvo jure inspectionis, administrentur, et executioni dentur. *ibid.*

Fundationes pro suis facere possunt Graeci non uniti. *ibid.* A. 27.

FUNUS.

Expensae Funebrales ante divisionem inter Novercam, et privignos suscipiendam excinduntur. Dec. Cur. P. 2. S. 2. Tit. 6. d. 17.

Funeralia indefectu fundi praecedunt omnes Creditores, auszugalistas, et dotem scriptam. *ibid.* Tit. 5. d. 36.

Ob nimias expensas Funebrales, Vidua bona maritalia alienare non potest, secus absque pecunia revindicantur. 1655. A. 25.

Expensas in funus Patris, vel Matris factas foeminae ex jure radicali ex bonis excussae petere non possunt. D. C. P. 2. S. 1. T. 4. d. 7.

GRADUS CONSANGVINITATIS.

Gradus quartus Consangvinitatis ad Matrimonium utroque jure prohibitus est. 1mae 107.

Gradus primus in Genealogia probari non debet. D. C. P. 1. T. 10. d. 1. Gradus attamen quintus probari debet. *ibid.* d. 3.

GRAECUS.

Graeci liberum Religionis exercitium habeant. 1790. Art. 27.

Graeci Fundationes pro suis facere possunt. *ibidem.*

Graeci non uniti in Dicasteriis adhibeantur, et Episcopi eorum in Comitiis votum, et sessionem habeant. 1792. A. 10.

Graeci non uniti jure Civitatis donantur, bona possidere, et officia quaevis gerere possint. Juribus ceteroquin regiae Majestatis circa negotia Cleri, Ecclesiae, Religionis, Fundationum, Studiorum, ac Juventutis educationis, non minus privilegiorum ipsorum Regiae Majestati porro quo-

que in salvo relictis. 1790. A. 27., item si sedem in Hungaria fixerunt, quaestum exercere valeant. 1741. A. 29.

HAERESIS.

Haereses exstirpentur. 1548. A. 5. 1550. A. 12. 1556. A. 25.

Haeresim judicat S. Sedes. Math. D. 1. A. 3.

Haeretici non tolerandi. S. Steph. L. 1. c. 1. Lud. 2. D. 5. A. 54. et 1548. A. 5.

Haeretici publici notae infidelitatis rei fiebant. 1mae 14. Math. D. 1. A. 2. Ulad. D. 2. A. 4. item 1723. A. 9.

Lutheranos Rex bonis, et Capite exuat. Lud. 2. D. 5. A. 54.

Haereticos foventes Capitanei, et Praefecti officia amittant. 1563. A. 32.

Vide: *Protestans. Evangelicus.*

HOMAGIUM.

Homagium fidelitatis Regi tenentur praestare Praelati, et Ecclesiastici. 1mae 12.

JEJUNIUM.

Jejunium in carcere certis diebus, est poena arbitraria. Pr. Cr. P. 1. A. 52.

Jejunium in pane, et aqua, est poena personae altioris conditionis, prima vice adulterium committentis. Pr. Cr. P. 2. A. 76., quae dictatur etiam abductori, abductae, et abductionem juvanti. *ibid.* A. 79.

Carnem die veneris, vel quatuor temporibus manducans, per hebdomadum inclusus jejunet. S. Steph. D. L. 2. c. 9. et 10.

Itali in Hungaria diebus jejunii carnem manducantes e Regno exesse jubentur. S. Ladisl. D. L. 1. c. 31.

Quatuor temporum diebus carnem comedens inclusus duodecim diebus jejunet. S. Lad. *ib.* c. 25.

Dies quatuor temporum serventur, ubi usus invaluit. Colom. D. L. 1. c. 71.

IMMUNITAS.

Immunitas Ecclesiarum Parochialium conservetur. 1536. A. 51. 1557. A. 10. 1647. A. 102.

Immunitas a teloniis, prout lege defixa observetur. 1715. A. 97.

IMPRAEGNATOR.

Si ad infanticidium concurrit, capite plectitur, si non concurrit, ob fornicationem solum poena arbitraria punitur. Pr. Cr. P. 2. A. 66.

INCESTUS.

Incestuosi puniantur. 1599. A. 36.

Incestuosi consangvinearum, et novercarum violatores olim fuere notae infidelitatis rei. 1mae 14. Math. D. 1. A. 2., hodie in primo, et secundo gradu caput amittunt, 1723. A. 11.; in tertio, et quarto gradu duorum annorum carcere puniuntur. 1723. A. 12.

Incestus inter personas consangvineas in gra-

du ad matrimonium prohibito, in linea ascendenti, et descendenti gladio plectatur. Pr. Cr. P. 2. A. 74.

Incestus inter collaterales, et affines virgis, et proscriptione puniantur. *ibid.* in gradibus vero remotioribus poena arbitraria, sed majori, ac simplex fornicatio puniatur. *ibid.*

Incestum committens Christianus ex Turca, vel Judaeo factus in linea ascendenti, vel descendenti, capite plectatur, et cadaver comburatur; in linea vero collaterali, vel gradu affinitatis, virgis caesus, proscribatur. Pr. Cr. P. 2. A. 82.

Incestus in linea collaterali viginti annis antiquatur. Pr. Cr. P. 1. A. 43.

Gener cum socru si incestum committant, virgis, et proscriptione puniuntur. Pr. Cr. P. 2. A. 74.

INFAMIA.

Infamiae notam incurrit Tutor in personam, vel res pupilli infidelis. 1mae 123., item proditor fraterni sangvinis. 1mae 39., item: Perjurus. 2dae 30. Pr. Cr. P. 2. A. 91., insuper damna, et honorem compensat, et pro gravitate delicti, digitos duos, aut lingvam amittit. *ibid.*

Infamiae notam incurrit porro Mandata regia in juridicis citra sufficientem rationem non observans. 1625. A. 4.

Infamiam incurrit, et ducentos flnos solvit, ac officium amittit Judex, mandata Judicis R. Ordinarii non observans, nec in Curia Regia rationem facti sufficientem reddens. D. C. P. 2. S. 1. T. 22. d. 1.

Incurrit porro pars, et Advocatus, falsis literis utens, si hanc poenam adversarius petat. D. C. P. 1. T. 21. d. 1.

Et falsas literas fine damnificationis, in bonis conficiens, vel iis scienter utens. 1723. A. 12.

Infamis testimonii perhibendi incapax est. Math. D. 6. A. 14.

INQUISITIO.

Inquisitionem in Causis seculare judicium poscentibus Nobiles, vel Ecclesiastici facere nequeunt. Sigism. D. 2. A. 3.

Inquisitio praemittatur antequam ex delicto contra aliquem procedatur. 1630. A. 40.

Inquisitionis requisita sunt: libertas, aetas, modalitas, conditio, et juramentum. 2dae 27.

Si inquisitio facta est ad requisitionem unius partis, absque turbatione alterius reiterari non potest. 2dae 31.

Eam repulsione interturbans, in facto potentiae, et amissione Causae punitur. Math. D. 6. A. 16. et Ulad. D. 1. A. 57. item Ulad. D. 5. A. 5. 1723. A. 10.

Vide: *Testis.*

INTABULATIO.

Intabulationes debitorum in Comitatibus, et Civitatibus ob securitatem creditorum fiant. 1723. A. 107. tales tamen coram oppidis, vel dominiis non tenent. D. C. P. 2. S. 2. Tit. 5. d. 1.

Intabulatio creditoris habet prioritatem prae

alio creditore non intabulato, litem licet movente, etiamsi hic serius curasset se intabulari. *ibid.* d. 15. quia prior tempore, potior est jure etiam in censibus. *ibid.* d. 1.

Intabulationem non habens creditor, si debitorem executus est, alter post executionem intabulatus, exequentem excutere non potest. *ibid.* d. 31.

Intabulatio per creditorem sub ipsa lite mota, facta tenet. *ibid.* 34.

Intabulatio plurium creditorum si eadem die facta, in defectu Fundi aetas debiti consideratur. *ibid.* 36.

Eam si fecit unus creditor, et alter resignationem bonorum, sed tantum scriptam, non realem habeat, prior intabulatus habet praelationem prae hoc. *ibid.* 14.

Intabulationem, vel inhibitionem si non fecit creditor intuitu fundi inhypothecati, et hunc alicui debitor fassione perennali cessit, prior nihil juris in fundo habet. *ibid.* 11.

INTERDICTUM.

Interdicto afficiantur intra terminum legalem decimas non solventes, eousque donec non solverint. Ulad. D. 2. A. 37. Rasciani tamen, et Schismatici eo ad solvendas decimas non afficiantur. Math. D. 5. A. 3.

In eos, qui de nimia desumptione decimae conqueruntur, non feratur prius Interdictum quam causam Sedria cognoscat. Ulad. D. 2. A. 37.

Vide: *Excommunicatio.*

INVESTITURA.

Investitura invito Patrono, Parocho non detur. Ulad. D. 3. A. 66. et D. 5. A. 26. *item* 1647. A. 100., secus Praelatus pro illo anno decimam amittat, quae conservationi castrorum finitimorum adhibeatur. Ulad. D. 5. A. 26.

JUDAEUS.

Judaeus si uxorem vel ancillam Christianam habuerit, ea libertati restituatur. S. Lad. D. L. 1. c. 10.

Judaeus die Domini, vel festo laborans, instrumenta amittat. *ibid.* c. 26.

Judaeus agriculturam exercens, eam paganis (non christianis) mancipiis colat. Colom. D. L. 1. c. 75.

Judaeus cum christiana adulterium committens, prima vice virgatus, ad calumnam infamiae expositus, proscribatur, secunda vice committens, capite plectatur. Pr. Cr. P. 2. A. 82.

Judaeus raptum committens, caput amittat, et si peccatum carnis consummavit, cadaver ejus comburatur. *ibid.*

Judaei, qui in Regno nati sunt, vel domicilium legitime adepti possunt in Regno habitare, et opificia exercere, Fundos civiles emere; ceterum tenentur stabili nomine, et cognomine uti, et natas proles suas Matricae, per Rabbinos ducendae inscribi curare. 1840. A. 29.

JUDEX.

Judices in omnibus foris absque distinctione religionis eligantur. 1622. A. 2. 1638. A. 1. et 1659. A. 1.

Judex in suo Foro solum judicet. S. Lad. D. L. 3. c. 16.

Judex quilibet evocationem, cum insinuatione sub sigillo suo facere possit. Ulad. D. 1. A. 54. et eodem sigillo suo omnem potest citare, praeter Clericum, et Comitem. S. Lad. D. L. 3. c. 25.

Judicis officium est: peragere sibi incumbentia, omnia mature deliberare, nulli partium plus favere, et passionibus abstinere. Prolog. 14. §. 5.

Judicem regulat Actio, et partes. D. C. P. 1. T. 7. d. 7. judicare vero debet secundum allegata, et probata, non vero secundum propriam scientiam. Prolog. 15. item. 2dae 75. nisi pro tribunali sedens, factum coram se commissum, illico judicare potest de propria scientia. Prolog. 16. tum vero judicare debet secundum jura, et consvetudines Regni. Ulad. D. 1. A. 10. et D. 3. A. 6. nec non 1647. A. 79.

Judex in exceptione ultra triplicam, in merito vero ultra quadruplicam nunquam admittat. 1729. A. 43. 1723. A. 38.

Judex juxta qualitatem damni Actori defert juramentum. Math. D. 6. A. 14. discrepantibus vero testium fassionibus, ratione circumstantiarum Actori vel reo tale defert. *ibid.*

De damnis illatis satisfactionem impendat. Math. D. 6. A. 14.

Judex salarium Advocato, habita experientiae, habilitatis, et laboris ratione, adjudicet. 1723. A. 38. 1792. A. 16.

Si Judex juramentum contra leges alteri parti adjudicavit, appellata ante depositionem juramenti admittitur. 1729. A. 30.

Judex amicam non impediat. Lud. D. Un. A. 24. et pro tali amica nihil exigat. Math. D. 6. A. 5. et 55. ac Ulad. D. 1. A. 68. et 74.

Judex et Actor in eadem causa nemo esse potest. 2dae 22.

Judex Advocatum non agat, sed justitiam administret. Math. D. 3. A. 14. sed neque in testem adhiberi, vel testimonium in eadem causa, in qua Judex est, dare valet. Prolog. 16.

Judex in judicio novo, novisato nullas novas praetensiones adjudicare potest. D. C. P. 1. T. 28. d. 12.

Judex consangvineus judicio consangvinei interresse non potest. Ulad. D. 4. A. 8. 1557. A. 13. 1723. A. 28.

Si Judex manifeste ex actis interessatus appareat, oppositio contra ejus sententiam tenet. D. c. P. 2. Sect. 1. Tit. 23. dec. 14.

Judicem injustitiae arguens, si assertum suum non probaverit, quinque pensas solvat. S. Lad. D. L. 3. c. 25. et eandem poenam luat, quam Judex de accusato crimine convincendus erat subiturus. Ulad. D. 1. A. 70.

Judicem captivans, verberans, actum majoris potentiae, et occidens capitis poenam incurrit Ulad. D. 1. A. 70. et 1723. A. 10. et 11.

Judicem exequentem dehonestatione afficiens in marca auri, vituperiis laedens, verberans, vel vulnerans, in sententia capitali, occidens in nota infidelitatis convincatur. Ulad. D. 2. A. 16. et poenam violationis sedis judiciariae, vel emendae capitis, in onere minori incurrit. 1635. A. 89. 1647. A. 16. 1649. A. 94. 1723. A. 57. etiamsi extra judicium id factum fuerit. 1655. A. 108.

JUDEX ECCLESIASTICUS
in Specie:

Judex Ecclesiasticus debet esse Hungarus. 1569. A. 4.

Judex Ecclesiasticus causas seculares et secularis ecclesiasticas non judicet, in dubio vero Rex decidat, ad quod forum causa pertineat? Sigism. D. 2. A. 14. D. 3. A. 12. Ulad. D. 3. A. 60. 1647. A. 16.

Judex ecclesiasticus causas prophanas ad se non trahat, neque causantes sub poena excommunicationis respondere cogat, secus in homagio excommunicati convincatur. Ulad. D. 3. A. 61. 1647. A. 16.

Judex ecclesiast. solum de Dotibus, Paraphernis, quartalitiis, decimis, de verberatione ecclesiasticorum, et mulierum, testamentis, causis matrimonialibus, et perjurialibus judicet. Szil. D. A. 9. Math. D. 1. A. 3. D. 2. A. 17. et D. 3. A. 17. Ulad. D. 1. A. 46.

Causas civium LL. RR. Civitatum non judicet. Ulad. D. 4. A. 33.

Judex eccl. causam quamvis, praeter matrimonialem, erga mandatum declinatorium non submittens, beneficium amittat. 1747. A. 15.

Judex eccl. jura possessionaria non judicet. Ulad. D. 3. A. 62. 1647. A. 16.

Judex eccl. est Vicarius, et officialis Praelati. Ulad. D. 1. A. 46.

Vide: *Sacra Sedes.*

JURAMENTUM.

Juramentum Praelati, Baronis ex officio existentis, Abbatis item et Praepositi, ratione dignitatis aequivalet juramento decem Nobilium. 2dae 40.

Illud Praelati, Abbates et Praepositi in sua Cathedrali Ecclesia, coram Capitulari, vel Conventuali deputato, solum ad conscientiae puritatem jurant, ceteri conjurati Barones, Nobiles corporale juramentum deponunt. *ibid.*

Juramentum sicut Rex, quod Regni libertates servare, limites tueri, et ab iis avulsa recuperare velit, facit, ita et illud fidelitatis Regi SS. OO. deponant Posth. D. 1. A. 1. et 2. praeterea jurent Supr. Comites, Capitanei, Castellani, Hajdones, Judices, Senatores civitatum etc. 1622. A. 29. 1647. A. 20.

Juramentum calumniae ab expetente citationem, vel evocationem deponatur. Math. D. 5. A. 17. Illud. praestent procuratores. 1567. A. 27. etiam in foro ecclesiastico. *ibid.* attamen Procuratores ab onere hujus relevantur. Art. 34. 1574.

Violantes vero illud Procuratores extranei in foro spirituali, vel seculari, amittant beneficium, et ut falsarii, et perjuri carceribus perpetuis mancipentur. 1567. A. 27.

Juramentum a Capitulari, vel Conventuali pro legali testimonio exmissis si non exigit Capitulum, vel Conventus, puniatur, et actus nihil valeat. 1559. A. 50.

Illud deponant homines Capitulares, vel conventuales pro expeditionibus destinati. 1723. A. 39. et 44. 1741. A. 25. 1751. A. 8.

Juramentum Archi Episcopus per officialem deponere possit. 1550. A. 64.

Homo Regius, Capitularis, vel Conventualis, ante quemvis actum deponat. Sig. D. 6. A. 8. Math. D. 6. A. 8. et 10. Ulad. D. 1. A. 43.

Juramentum non defertur partibus, ubi oculatá revisio locum habere potest. 2dae 41.

Abbati, Capitulo, et Conventui, si divisi sunt, intuitu bonorum seorsive, non item secus defertur juramentum. 2dae 49.

Juramentum in aequilibrio argumentorum, semper personae omni exceptione majori deferatur. 1729. A. 27.

Jur. parte una offerente; altera non acceptante, si Judex detulit, si appellata interposita, pars offerens mortua sit, pro deposito habetur. D. C. P. 1. T. 19. d. 5.

Si una pars alterius juramentum acceptavit, — nisi et alia juramento non comprehensa sententia contineat, — appellata non competit. 1729. A. 30.

Si Judex alterutri parti illegaliter adjudicavit juramentum, alteri parti appellata competit. *ibid.*

Juramentum Judex caute adjudicet, solum in defectu alterius probae. 1609. A. 29. 1613. A. 23. 1635. A. 16. 1729. A. 27.

Juramentum per viduam ad probationem allaturae oblatum rejicitur. D. C. P. 2. S. 2. T. 6. d. 14.

Juramentum defertur Actori, si hic semiplene probavit, et res utrique aequaliter constet. 1729. A. 27. et Incatto defertur in Causa liquidi debiti, si doceat super aliquibus positionibus solutis quietantias exstitisse. D. C. P. 1. T. 19. d. 3.

Juramentum purgatorium defertur reo, si factum ejus probandi nullum alium modum habeat Actor. 1729. A. 27.

Jur. purgat. defertur etiam in criminalibus accusato, si unius ideonei testis proba media gravetur. Pr. Cr. P. 1. A. 15.

Alterius vero generis Juramenta uti: revelatorium, Litis decisorium, Testium pertinent magis ad Forum seculare, quam spirtuale; ideo in casu necessitatis videri potest in ipso corpore Juris Civilis. —

Reflexos vero haberi cupio DD. Curatores animarum, ut circa juramenta, per fideles suos fere quotidie coram Judicio rurali poni solita, pastoralem suam attentionem quam diligentissime excitent.

JURISTITIUM.

Juristitia usitata in omnibus Regni judiciis observentur. 1723. A. 29. exceptis Causis matrimonialibus. 1618. A. 70. et 1723. A. 29. item si personae spirituales inter se litigent. Lud. 2. D. 4. A. 56.

Juristitium generale, tam in Foris secularibus, quam ecclesiasticis est tempore insurrectionis. Lad. Posth. D. 2. A. 10. Szil. D. A. 4. item Decr. SS. et OO. sub Mathia. A. 10. Lud. 2. D. 1. A. 17. D. 4. A. 56. 1596. A. 38. 1599. A. 46. 1723. A. 29. item generale est tempore Diaetae. Ulad. D. 6. A. 12.

JUS.

Jus Ecclesiarum, patronatui Regis subjectarum nemo sibi arroget. Math D. 6. A. 37.

Quae contra Jus fiunt, pro infectis utique habentur. *Regula Juris.*

LAESIO.

Laesus causam deferat Judici primae instantiae, si hic justitiam non administraverit, ad superiorem, si nec hic satisfacere velit, ad Regem recurrendum est. Sigism. D. 2. A. 8.

Laesus solus sibi satisfacere non audeat, secus actum potentiarium incurrit. *ibid.*

LAICUS.

Laicus contra Clericum testimonium perhibere non possit. S. Steph. D. L. 2. c. 3.

Laicus contra Clericum si litem habeat, coram Episcopo, si vero Clericus contra laicum, coram hujus Judice agere debet. Colom. D. L. 1. c. 6.

Laicus non habet potestatem Ecclesiae. Col. D. L. 2. c. 11.

Laici Episcopis pareant. 1550. A. 16.

Laici decimam possidentes, partem ejus decimam Thesaurario pro subsidio consignent. 1537. A. 15.

Laicos praedicatores Domini terrestres ejicient, secus ad judicium Majestatis, vel Locumtenentis evocentur. 1548. A. 10.

LEGATUM PIUM.

Pium Legatum solum tenet in testamento, vel Codicillo suicidae, salva parte tertia prolium et jure Domini jurisdictionis. Pr. Cr. P. 2. A. 69.

Illud etiam ex avitis fieri possit. D. C. P. 2. S. 2. T. 1. d. 27.

Illud est privilegiatum, et tenet sola subscriptione testatoris, vel coram duobus testibus, si testamentum factum est. 1715. A. 27.

Legata (*non pia*) cambia, emtiones, venditiones fundorum, absque scitu Dominii, sub amissione summae investitae ne fiant. Urb. P. 8. §. 18.

Ea haeredes usque 600 flnos coram Comitatu persequi possint. 1647. A. 126.

LENO.

Leno seu Conjuge, seu filia seu alia persona pro peccunia in domo sua quaestum si faciat,

vel auxilium, consilium, tutelam det, post iteratam inqisitionem, virgis caesus, proscribatur. Pr. Cr. P. 2. A. 80.

Leno in aggravantibus circumstantiis gladio puniatur. *ibid.*

LEVATA.

Levata ipso termino fieri debet, secus Incattus ex paribus sui absolutionem petere potest. D. C. P. 1. T. 3. d. 1.

Et fiat ipsa die Citationis, cui tota dies cedit. 1723. A. 32. quia die ipso termini non facta, condescendit. D. C. P. 1. T. 3. d. 6.

Ceterum vide: *Actio. Actor.*

LEX.

Lex posterior tollit priorem. 2dae 2.

Lex prior tollitur contraria posteriori consvetudine. Prolog. 12. §. 2. posterior tamen tollit antiquam consvetudinem. *ibid.*

Lex Papae posterior non tollit consvetudines locorum privatas. Prolog. 12. §. 1.

Lex, cui nihil derogatum est, viget. 2dáe. 2.

Lex non defluas, sed erigendas causas regulat. Math. D. 6. A. 70.

Legem abrogare, ei derogare, et eam interpretari potest Rex cum Statibus. 1790. A. 12.

Lex Comitialis ab omnibus observetur. Ulad. D. 4. A. 43. et effectuetur. 1723. A. 102. 1790. A. 13.

LIBELLUS.

Libellus *Actionalis*, Vide: *Actio. Actor.*

Libbellus *famosus*, vide: *Pasquillus.*

LUSUS.

Lusus pharao, aleae, et omnes vulgo *Hazard*, in quibus omnia fortunae committuntur, sub poena centum Aureorum prohibentur, quam etiam dominus domus incurrit, cujus poenae una tertia denuncianti, una jurisdictioni, et una fundo publico cedit. 1790. A. 31. substantia vero carens, aresto, vel poena corporali mulctatur. *ibid.*

MAGIA.

Magia per Jurisdictionem puniatur. Poena vero ejus est rogus; si tamen damnum grave non intulit, et poenituit condemnatus, caput ejus praevie amputatur. Pr. Cr. P. 2. A. 60.

Magia, et maleficium nunquam antiquatur. *ibidem.* A. 43.

MARITUS.

Maritus succedit uxori deficienti in bonis, si utriusque conjugis nomen literis insertum. 1mae 48. etc.

Maritus uxorem in flagranti adulterio deprehensam si occidat, a poena homicidii immunis est. Pr. Cr. P. 5. D. 62.

Maritus cum libera persona prima vice adulterium committens, mulcta pecuniaria ad summum in triginta flnis puniatur, vice secunda carceribus in pane, et aqua, vice tertia virgis plectatur. *ibid.* A. 76.

MATER.

Mater succedit in fundis Civilibus, et maritus defunctae in mobilibus, si uxor in secundo matrimonio absque testamento, et haeredibus decessit. D. C. P. 2. S. 2. T. 1. d. 40.

Mater usque secundas nuptias est tutrix, et curatrix legitima prolium. 1mae 113. et si maritalia bona nulla sint, in bonis propriis, etiam sub secundis nuptiis tutrix; et curatrix manet. *ibidem*.

Si Mater ut tutrix ad alia vota transiens, substantiam orphanalem dispendiose administravit; actoratu Fisci magistratualis a tutela, et curatutela removetur, et in refusione damnorum convincitur. D. C. P. 2. S. 2. T. 8. d. 12.

Mater si prolibus primi matrimonii certam summam legavit, haec prae prolibus secundi matrimonii iis excinditur. *ibid.* T. 1. d. 44.

Mater si auxilium praestitit ad delictum, aggravatur ei poena. Pr. Cr. P. 1. A. 45.

Matrem, vel aviam occidens parricidium committit. Pr. Cr. P. 2. A. 65.

MATRICULA.

Matriculares Extractus Parochi quovis anno, autenticatos Publico Comitatus, ad Archivum praestare tenentur. 1827. A. 23.

Matriculae lingva hungarica scribantur. 1840. A. 6.

Illa matrimonia, quae e mixtae Religionis personis coaluerunt, et non obstante Lege 1790.

per Ministros Evangelicos copulata, respectivarum Catholicarum Parochiarum Matricis illata non sunt, jubentur eisdem inscribi. 1844. A. 3.

Judaei tenentur Matriculas scribere. 1840. A. 29.

MATRIMONIUM.

Matrimonium in facie Ecclesiae, praesente Sacerdote, coram testibus contrahatur, secus non Conjugium, seu fornicatio habeatur. Colom. D. L. 2. c. 15.

Matr: inter affines vel consangvineos ignoranter si contrahatur, et dissolvatur, uxor dotem et parapherna accipiet, proles natae legitimae erunt, et utrique succedunt, secundum regulationem sexus, — si vero scienter contractum, mulier sola parapherna sine dote accipit, et proles, etiamsi per Papam legitimatae non succedunt. 1mae 106. *et quidem:*

Scienter contractum esse putatur, si consangvinei ex hoc fundamento contradixerunt, vel utrique parti affinitas, vel consangvinitas nota esse poterat. *ibid.* 107.

Matrimonium, et accessoria judicat Judex ecclesiasticus. Szil. D. A. 9. Math. D. 1. A. 3. et D. 2. A. 17. Ulad. D. 1. A. 46. item 1647. A. 15. 1715. A. 19.

Matrimonium Protestantium nullum, per secularem Judicem solutum, Episcopus ut tale agnoscere non cogatur. 1790. A. 26.

Matrimonium mixtum coram Catholico Parocho ineatur, neque impediantur; ac ex eo na-

tae proles, si Pater sit Catholicus, omnes Catholicae sint, si vero sola Mater Catholica, filiae solum erunt Catholicae. 1790. A. 26.

Lex haec per Legem 1844. *art.* 3. *ita qualificata est:* quod post publicationem hujusce Legis etiam illa mixtae Religionis matrimonia, quae per Evangelicos Ministros copulata sunt, legalia maneant; in specie vero, illa inter Catholicos, et Evangelicos cujuscunque professionis, a die 15ta Martii anni 1839. usque 10mam Novembris 1844. contracta, et non per Catholicum Sacerdotem, sed per Evangelicum Ministrum copulata, pro legalibus declarentur. *Cujusmodi Matrimonia.*

Teneantur concernentes Jurisdictiones intra annum conscribi, et conscriptiones has pro partium, successorumque earum securitate ad sua Archiva reponi; ac in quantum Matrimonia haec concernentibus Matriculis illata haud forent, eadem dictis matricularibus Libris inferri curare. 1844. Art. 3.

Matrimoniales causas, (etiam mixtae Religionis) judicat S. Sedes. 1790. A. 26.

MERETRIX.

Meretrix judicio Episcopi puniatur. S. Lad. D. L. 1. c. 34.

METROPOLITA.

Metropolita, sive Archi-Episcopus rusticus fieri nequit. Ulad. D. 7. A. 24.

Archi Episcopus Strigoniensis est Primas

Regni. 1536. A. 15. 1741. A. 10. Inter Principes Imperii cooptatur. 1715. A. 111. Est Comes perpetuus Comitatus Strigoniensis. Lud. D. Concl. §. 3. Est summus Secretarius, et Cancellarius Regis. Lud. 1. D. Conclus. Ulad. D. 5. A. 31. 1536. A. 15. 1751. A. 3.

Archi Episcopus Strigoniensis praeterea est: Legatus a latere, et Patriarcha Constantinapolitanus dicitur. Ulad. D. 7. in Concl., item Legatus natus. 1608. in Concl. §. 5. Personalis praesentiae Regiae, et Judex Regni ordinarius. 1536. A. 15. et *Primas Regni.* 1536. A. 15.

Metropolita Strig. in beneficia exempta in ambitu Episcoporum Jurisdictionem habet. 1560. §. 16.

Archi Episcopum, aut Vicarium ejus, praeterito Dioecesano nemo nisi in forma Appellatae in Causa sua appellare audeat. Ulad. D. 2. A. 10.

Ad metropolitam fit Appellata ab Episcopo. Math. D. 5. A. 17.

Metropolita Graeci Ritus non unitus votum, et sessionem in Comitiis habeat. 1792. A. 10.

MILES.

Si Capitanei suos servitores, equites, et pedites ad bona ecclesiastica, et nobilium vicinorum, et Civitatum villas condescendere faciunt, qui multa damna miserae plebi inferunt, foenum, pabulum, et alia dirripientes, ac se gratis sustentari curantes; statutum est: ne id fiat, et id facientes Capitanei puniantur per vice, vel supre-

mos Comites, vel supremos Capitaneos sub juramento, quo Suae Majestati, et Regno sunt obstricti. Rudolph. Imp. D. 7. 1596. A. 13. 1609. A. 56. 1647. A. 43. 1655. A. 57. 1659. A. 98. 1681. A. 73.

MISSA.

Missam confabulatione profanantes, si majoris notae sint, reprehensi expellantur, si plebei, in atrio coram omnibus pulsentur. S. Steph. D. L. 2. c. 18. *Sed non per Sacerdotem.*

Missam extra Ecclesiam celebrare non licet, si Comes ad id Presbyterum coëgit, quinquaginta quinque pensas solvat. In itinere tamen sub tentorio celebrari possit. S. Ladisl. D. L. 1. c. 29. Colom. D. L. 1. c. 68.

Missas duodecim singulus Ordo religiosus annue pro Rege celebrare tenetur. 1723. A. 96. 1729. A. 50. 1764. A. 42. et 43.

MONACHUS.

Monachi ex quolibet Monasterio pro Capellanis castrensibus ad castra mittantur. 1542. A. 41. 1662. A. 5.

Monachi Tricesimas non solvant. Ulad. D. 3. A. 35.

Monachum neque Abbas, neque Episcopus absque titulo certi loci ordinare possit. S. Lad. D. L. 1. c. 21.

Monachos quinque pro legali testimonio teneat Conventus Lelesziensis. 1559. A. 49.

Monachi non bona, sed decimas, nonas,

quartas possidentes, militem juxta conscientiam, et possibilitatem statuant. 1595. A. 14.

Monachus inobediens per Visitatorem ejiciatur. Math. D. 6. A. 12.

Monachum Abbas, vel Praepositus, *(Superior)* castigare possit. Ulad. D. 1. A. 44.

Moniales et Monachos Episcopus in suo Monasterio visitet. S. Ladisl. D. L. 1. c. 21.

Moniales pro Banderio militem statuant. Lud. 2. D. 1. A. 4. et D. 5. A. 42. item 1662. A. 5. 1681. A. 46. 1741. A. 63. 1595. A. 14.

Monialis unica filia deficientis in sexu masculino si supersit, et Fiscus bona utrumque sexum concernentia, ex defectu seminis procedens, occupet, eodem instituto hanc superstitem filiam ad recipiendam. Articulo 71mo 1715., defixam portionem cogere non potest. D. C. P. 2. S. 1. T. 1. d. 15.

Monasterium bonorum capax ingrediens persona, usque quinquaginta millia et infra avitae, vel maternae portionis decimam partem, ex majori vero summa ultra quinque millia, uti etiam ex aquisitis nihil inferre possit. 1715. A. 71.

Monachorum numerus citra assensum regium et SS. non augeatur. *ibid.* A. 102.

Monachus est incapax Campsoriales, Cambiales literas subscribendi, aut edendi. 1840. A. 15. c. 3. §. 11.

Ceterum vide: *Abbas.*

MONIALIS.

Vide; *Monachus.*

NEPOS.

Nepotes ex non emancipatis filiis nati, potestati avi subsunt, ex filia vero nati, subsunt patriae potestati patris sui. 1mae 51.

Nepotes praemortuo patre in tutelam avi paterni, veniunt. 1mae 113.

Nepotes novam divisionem petere non possunt, si divisionem primam, per avos factam, filii, seu Parentes eorum approbarunt, nisi forte unus fratrum ceterorum portiones violenter diminuisset. D. C. P. 2. S. 1. T. 18. d. 4.

Neptis legati avitici particeps est tunc, si avus aquisitor filiis bona pro masculis, filiabus vero certam summam legavit, et filius unus in masculis deficiens, filiam reliquit. *ibid.* Sect. 2. Tit. 1. d. 57.

NOTARIUS.

Notarium idoneum habeat Archi Abbas. 1723. A. 44.

Notarius relationes omnes, et expeditiones improtocollet. *ibid.* Art. 39. Acta pro expeditione domum ferre possit. 1741. A. 25.

Notarius juramentum deponat. 1723. A. 39.

Notarius publicus in causa inter duos laicos vertente, sive coram Judice seculari, sive ecclesiastico, sed solum in foro spirituali, seu Vicariorum Curiis allegare audeat. Sig. D. 2. A. 3.

Contra Notarios publicos Nobiles, aut Ecclesiastici inquirere non possunt. *ibid.*

NOVERCA.

Novercam privignus ad levandam competentem ratam stringere potest, si privignus ad invalidationem contractus divisionalis, de mobilibus, et immobilibus patris initi, procedens, edoceat: aliqua contractum divisionalem non fuisse ingressa. D. C. P. 2. S. 1. T. 14. d. 12.

Eam bona paterna privignis cedere nolentem, si privigni currui impositam avehi curent, actum majoris potentiae non incurrunt. *ibid.* T. 20. d. 21.

Noverca suam, et privigna suae matris allaturam legitimam si sibi excindi petat, privignae prius excinditur. D. C. P. 2. S. 2. T. 6. d. 15.

Noverca cum privigno incestum committens, virgis caesa, proscribatur. Pr. Cr. P. 2. A. 74. eam vero violans antea infidelitatis notae reus fiebat. 1mae 14., hodie vero caput amittit. 1723. A. 11.

NUNDINAE.

Nundinae dominicis, et Festis diebus B. M. V. non celebrentur. Math. D. 2. A. 25.

NUNCIUS.

Ad Nuncium Apostolicum, vel Papam, praeterito Dioecesano, nullae causae, nisi via appellatae, sub poena deduci possunt. Ulad. D. 1. Art. 45. et D. 2. Art. 10.

NURUS.

Nurus qua tutrix, et curatrix prolium suarum si a socru de vindicatione jurium suorum

cessionem accepit, ad divisionem, et successionem procedere potest. D. C. P. 2. S. 2. T. 1. d. 52.

NUTRIX.

Nutrix, vel praeceptor, si in subjectam personam delinquat, aggravatur ei poena. Pr. Cr. P. 1. A. 45.

ORATORIUM

Oratoria, et sacella Magnates, et Nobiles Protestantes libere erigere, et dotare possint. 1681. A. 26. 1715. A. 30.

ORDO RELIGIOSUS.

Ordo Crucigerorum Hospitalariorum cum stella rubea ita Capucinorum, Franciscanorum, FF. Misericordiae, Carmelitarum, Paulinorum, et Monialium Ursulinarum in Regnum absque voto in Diaeta recipitur, quorum singuli annue duodecim Missas pro Rege, et Regno celebrare, vel celebrari curare obligantur. 1723. A. 96.

Ordo religiosus ad revindicationem Ruderum Ecclesiae, vel Monasterii coram foro spirituali agere debet. D. C. P. 1. T. 6. d. 10

Vide: *Monachus.*

ORPHANUS.

Vide: *Tutor.*

PARAPHERNA.

De Paraphernalibus judicat. S. Sedes. Szil. D. A. 9. Math. D. 1. A. 3. D. 2. A. 17. Ulad.

D. 1. A. 46. nunc vero judicat Judex secularis. 1647. A. 16. et quidem extra seriem. Ulad D. 4. A. 16.

Vide: *Uxor. Dos.*

PARENS.

Pater filio, vel filiae Monasterium ingredienti ex acquisitis nihil legare tenetur. 1715. A. 71.

Si in obligationem paraphernorum, avita onerantem, consentiat, obligatio non invalidatur. D. C. P. 2. S. 1. T. 10. d. 3.

Si pater portionem excindat filiae, quae nihil haereditatis se amplius praetendere velle spopondit, si novam divisionem petat, actoratus ejus condescendit. *ibid.* T. 18. d. 12.

Parentes mortuae sine heredibus filiae juramentum revelatorium super mobilibus et instrumentis defunctae, praestare debent. *ibid.* T. 6. d. 6.

Parentes in educatione negligentes, si Comitatus eatenus non providit, Consilium Regium eos admoneat. 1723. A. 105.

Qui parentes praetextu amentiae, vel furiositatis, ut incapaces administrandorum bonorum, ab usu eorum amovet, Proditionem fraterni sangvinis incurrit. 1723. A. 46.

Parentum verberatores, aut vulneratores, pro rerum aut factorum circumstantiis, juxta prudens arbitrium Judicis plectendi sunt. 1723. A. 11.

Parentes occidens notam incurrebat. 1mae 14. hodie poena mortis punitur. 1723. A. 11. juxta Pr. Cr. P. 2. Articulum 65. crurifragio ab infra puniendus est.

Abductor, et abducta ad matrimonium Parentes, vel Tutores deprecetur Pr. Cr. P. 2. A. 79.

Parentes ad filiorum, et filii ad Parentum defensionem, si Judex fundate non exceperit, admitti possunt. Pr. Cr. P. 1. A. 19.

Pater filiam in adulterio deprehensam si occidit, alleviatur ei poena. Pr Cr. P. 2. A. 62., nec secus, si homicidam filium ipse statuit, huic poena alleviatur. *ibid.*.

PARRICIDIUM.

Parricidium committit patrem, matrem, avum, aviam, liberos, conjugem, consangvineum in linea ascendenti, vel descendenti occidens. Pr. Cr. P. 2. A. 65.

Occisor Uxoris; vel consangvinei intra quartum gradum, uti et vulneratores eorum notam infidelitatis incurrebat. 1mae 14. hodie capitis poenam luit. 1723. A. 11. Olim vero juxta qualitatem facinoris, ac personae Episcopo canonice dijudicandus relinquebatur. Colom. D. L. 1. c. 50.

PAROCHIA.

Parochias, Scholas, Ecclesias Evangelici aedificare possint in locis, ubi eorum templa Catholici retinuerumt, et domini terestres ipsis assignabunt Fundos ab omnibus oneribus liberos. 1647. A. 19.

Parochiam Evangelicis occupans in sexcentis florenis convincatur, et executioni se apponens ecclesiasticus, beneficium, secularis vero bona amittat. *ibid.* et 1790. A. 26.

Ad aedificationem Parochiae Evangelicae operis suis Catholici, nec vicissim Evangelici ad Catholicorum concurrere teneantur. 1790. A. 26.

Fundus Parochialis decimas non solvit. 1647. A. 95.

PAROCHUS.

Parochi in suis libertatibus conserventur. 1557. A. 10.

Eos Episcopi in villis, et oppidis constituant, 1548. A. 6. et 1550. A. 13.

Invito Patrono Parochus non investiatur. Ulad. D. 3. A. 66. et D. 5. A. 26. item 1647. A. 100.

In Scepusio Parochi decimas etiam de terris curialibus Nobilium accipiant. 1563. A. 70.

Non obstante arenda decimarum, sedecimam suam accipiant. Ulad. D. 3. A. 50. et 1546. A. 55. 1723. A. 71.

Parochi ex bonis desolatarum Ecclesiarum subsidium accipiant. 1548. A. 12.

Parochus Catholicus cum Pastore Evangelico proventus, a personis utriusque Religionis per Judices incassatos, si alios non habebant, aequa ratione dividere jubentur. 1647. A. 12

Parochus Catholicus in loco mixto nonnisi a Catholicis stolam desumat. 1647. A. 12. 1790. A. 26.

Parochus penes Visitationem canonicam usum sessionis accipere non potest, sed testes producere debet. D. C. P. 1. Tit. 18. d. 3.

Parochus insurgenti militiae de Ecclesia victualia erga condignum pretium subministret. Math. D. 6. A. 61.

Parochus ad synodum Dioecesanam venire obligantur. 1559. A. 41. neque ab ea praesentiam suam pecunia redimere potest. Ulad. D. 3. A. 68. — *Cum vero Congregationes nunc dictae Districtuales vices synodorum suppleant, ideo lex praemissa etiam ad earundem Congregationum Districtualium frequentationem, Episcopo sic volente extenditur.*

Qui vero Parochum ad synodum venientem impedit, eum Rex puniat. 1559. A. 41.

Parochus a sepultura interfecti, sub amissione beneficii, praeter funeralia, nihil exigat. Math. D. 6. A. 63. Ulad. D. 1. A. 29. et D. 2. A. 6. potest tamen haec ab occisore exigere. Ulad. D. 1. A 29.

Parochi bona Ecclesiarum non dissipent. Ulad. D. 3. A. 69 ast potius

Bona Ecclesiarum Parochi, et his insufficientibus Episcopi revindicent. 1557. A. 11.

Parochos Episcopi (*Praelati*) ad decimandum, vel negotia qualiacunque pro privato suo bono exequenda mittere non praesumant. Ulad. D. 4. A. 36.

Parochum Episcopus nonnisi semel in redemtionem bullarum suarum taxare possit. Ulad. D. 3. A. 69. et D. 5. A. 12. idque nisi post quartum Episcopatus sui annum. *ibid.*

Parochus sive testatus, sive intestatus moriatur, substantiam ejus Patronus non occupet. 1557. A. 10. 1647. A. 102.

Parochi ad insurrectionem concurrant, vel a

proportione proventuum militem statuant. 1662. A. 5. 1681. A. 46. 1545. A. 25. 1741. A. 63. et 1805. A. 1. etc.

Parochi et Altarium rectores ad insurrectionem tres flnos solvant. 1537. A. 17.

Sine discrimine Religionis Parochi, verbi divini Ministri, Capellani, Cooperatores tales applicentur, qui cognitione lingvae hungaricae imbuti sunt. 1840. A. 6. §. 8.

Occasione excissionis *pascui*, Competentia Parochorum, unius integrae, Ludirectorum vero mediae Sessionis obtingentiae parificari decernitur, nisi aliquis majore, utpote sessionem integram exsuperante dote, cui etiam pascuum admensurari debebit, esset provisus. 1836. A. 6. §. 3.

Vide: *Ecclesiasticus*, *et Presbyter*, *et Privilegium.*

PASQUILLUS.

Pasquillos, (Libellos famosos) vel picturas honori alieno laesivas spargens, pro gravitate delicti, columna infamiae, virgis, proscriptione, amissione digitorum, vel capitis puniatur. Pr. Cr. P. 2. A. 93.

Denuncians ex bonis ejus mulctam pecuniariam accipit. *ibid.* §. 6.

PASTOR EVANGELICORUM.

Pastores Evangelicorum, et Helveticorum, non obstantibus quibusvis reversalibus, muniis suis fungantur. 1681. A. 25. 1687. A. 21. 1715. A. 30.

Pastores Protestantium per Parochos non exturbentur, et exturbati reducantur. 1647. A. 5. 1790. A. 26.

In loco mixtae Religionis, proventus parochiales, ex solutionibus personalibus provenientes, si alios proventus non habeant, cum Catholicis aequa portione dividant. 1647. A. 12.

Evangelici proventus stolares a suis tollant. *ibid.* et 1790. A. 26.

PATRONUS.

Patronatus universalis jus, Regi competere agnoscitur. 1569. A. 36. 1790. A. 23.

Eum in Ecclesias, et Monasteria sigillum habentia Rex sibi retinet. Math. D. 3. A. 18.

Jus Patronatus in beneficiis ecclesiasticis praetendentes probent, si probaverint, conferant, secus Rex conferat. 1553. A. 9. 1569. A. 36.

Jus Patronatus Civitatibus confirmatur. 1681. A. 41.

Jus Patronatus in beneficia ecclesiastica Hungarus Hungaro, non vero extero cedere possit. Ulad. D. 2. A. 31. et 1723. A. 55.

Patroni Parochis de subsistentia provideant. 1723. A. 71.

Patrono invito Parochus non investiatur. Ulad. D. 3. A. 66. D. 5. A. 26. et 1647. A. 100.

Patronus substantiam Parochi non occupet. 1557. A. 10. etc.

Vide: *Parochus.*

PERJURIUM.

Perjurium est mendacium juramento firmatum in fraudem, vel periclitationem jurium cujuspiam malitiose commissum. 2dae 30.

Committitur vero, si promissio juramento firmata non adimpleatur; secundo, si super falsa re juramentum deponatur. *ibid.*

Perjurium judicat Forum spirituale. Szilágyi. D. A. 9. Math. D. 1. A. 3. et D. 2. A. 17.

Perjurii poenam incurrit, de damno, per exercituantes illato, sinistre conquerens. Ulad. D. 1. A. 22.

Eam incurrit Comitatus, Báro, Praelatus, Magnas, Civitas, subsidium, vel contributionem Regi citra Comitia resolvens. Ulad. D. 5. A. 1. et 1681. A. 12.

Ad faciendum perjurium per dominos non permoveantur Judices, sessiones occasione connumerationis sub juramento fatentes. 1567. A. 6.

Perjurium puniatur. 2dae 29. et 30.

Perjurium committens fit infamis. *ibid.* et Pr. Cr. P. 2. A. 91.

Perjurus est testimonii incapax. Math. D. 6. A. 14.

Perjurus perpetuis carceribus mancipabatur. 1567. A. 27.

Perjurium committens homo regius, amittat bona, et caput; Capitularis, vel conventualis amittat beneficium, et carceribus perpetuis mancipari jubetur. Sig. D. 6. A. 8. Math. D. 6. A. 10. Ulad. D. 1. A. 43.

Perjurium committens, ut alium in poenam criminalem conjiciat, eadem poena afficiatur, quam intendebat; — quodsi laesionem solum in bonis, vel honore intulit, hanc resarcit, praeterea fit infamis, et digitos duos, vel lingvam amittat. Pr. Cr. P. 2. A. 91.

Perjurii, et proditionis fraterni sangvinis poenam luit, in nova donatione sexum foemineum excludens. 1mae 38.

Perjurus in Jure alias *Aucarius* vel *Ludas* vocatur. 2dae 30.

Perjurus post convictionem amittebat jura possessionaria, segregatus, nudato pede, et capite ambulabat, contra neminem testari potuit, in homagio, et emenda capitis convincebatur. 2dae 30. etc.

Perjurus cautionem juratam re, vel facto violans, in delicto capitali poenam capitalem subit, in alio poenam capitalem post se non trahente virgis caeditur, vice prima, vice secunda abscissione manus, vel digitorum, vice tertia gladio puniri jubetur. Pr. Cr. P. 2. A. 92.

PRAEDICATOR.

Praedicatores bonos per Regnum Episcopi statuant. 1548. A. 6. 1550. A. 13.

Concionator non possessionatns quoad subsidium, et statutionem militis a V. Comite, et potioribus Nobilibus taxetur. 1595. A. 12. 1596. A. 10. 1598. A. 15. 1599. A. 7. 1602. A. 2. 1603. A. 3.

Laici a praedicatione amoveantur. 1548. A. 10.

Praedicatores laicos resipiscere nolentes, si Dominus terrestris non ejecerit, et veros Dei ministros non juverit, evocetur, et puniatur. 1548. A. 10.

Praedicatores Protestantium captivis suis assistere, eosdem providere, et ad supplicii locum, nisi Sacerdotem Catholicum ipsi desideraverint, deducere possint. 1790. A. 26.

Vide: *Pastor Evangelicorum.*

PRAELATUS.

Praelatorum nomine veniunt Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, Praepositi. 2dae 49.

Ii singillatim ad Comitia, evocantur. Ulad. D. 2. A. 26. *item*: 1608. A. 1. 1723. A. 7.

Cum Nobilibus, et Magnatibus eodem jure gaudent. 1mae 2.

Homagia Praelatorum sunt centum marcae gravis ponderis, uti Baronum. *ibid.* et 2dae 40.

Praelati Ecclesiis praeficiantur, qui plebem verbo, et exemplo doceant. 1548. A. 6.

Praelati neo-electi, in bonis a Capitulis, et Conventibus divisi gaudent privilegio pupillari, vigore cujus intra annum, erga nullius instantiam, quoad jura possessionaria, vel exhibitionem literarum, respondere tenentur. 2dae 50. intuitu tamen actuum potentiariorum, exhibitionem literarum non requirentium, vel si indivisi sint a Capitulis, vel Conventibus privilegio hoc non gaudent. *ibid.*

Praelati de pecuniis christianitatis, et messorialibus privilegia sua producere obligantur. Ulad. D. 2. A. 43.

Praelatis, qui in exhibitione literarum a sanctis Regibus super collatione Comitatuum emanatarum, jam defecerunt, honores ipsorum Comitatuum auferantur. Ulad. D. 5. A. 3.

Praelatus praeter simplicem Canoniam, nullum beneficium conferre possit. Lud. 2. D. 7. A. 21. et si talem (Canoniam) minus idoneo contulit, ademtam Rex bene merito conferat. Ulad. D. 3. A. 67.

Praelatorum successor quoad novam collationem est Rex. 1mae 10.

Praelati, Barones, etiamsi Assessores Octavarum non sint, ad consilium Regis admittantur. Ulad. D. 4. A. 10.

Praelati assignantur Locumtenenti pro consilio in absentia Regis. 1542. A. 30. prout et duo assignantur Palatino, et Locumtenenti Causas appellatas revidenti. 1559. A. 38.

Praelati duo, et Barones duo in Octavis (Judiciis) adsint, et salario provideantur. Ulad. D. 3. A. 2. *item* 1559. A. 38.; in Octavis vero majoribus quatuor adsint. Ulad. D. 4. A. 10. et D. 2. A. 8. et D. 6. A. 3.

Praelati, et Prior Auranae sub proprio sigillo Procuratores constituunt. 2dae 13.

Praelati, et Barones, eorumque homines proficiscentes nemini damna inferant, secus aestimato per magistratuales damno, rei etiam in expensis convincantnr. Ulad. D. 1. A. 22.

Praelatus vivus si donationem fecit, Actio Fisco regio ad revindicationem non competit. D. C. P. 2. S. 1. T. 1. d. 27.

Praelati juramentum aequiparabat juramento decem Nobilium. 2dae 40.

Juret vero Praelatus ad puritatem conscientiae in Ecclesia Cathedrali, coram Deputatis Capituli. *ibid.*

Praelati in Leges circa criminalia, et honestatem Clericorum Anno 1514. latas consentire noluerunt; quod ipsum agnoscitur. Ulad. D. 7. *in praelim.* §. 4.

Praelati, et omnes Ecclesiastici ex regia collatione beneficia possidentes, intuitu substantiae suae, vel Conventioni Kolonichianae se accommodent, vel testandi facultatem a Rege impetrent. 1715. A. 16.

Praelatus nonam, et decimam accipit a subditis suis ex vino, et frumento. Lud. D. A. 6. Ulad. D. 1. A. 48.

Decimas suas non elocet, si tamen id fieri necesse sit, earum conductor observet regulationem Sigismundi, secus arbitrio Regis castigetur. Math. D. 5. A. 8.

Praelatus decimas in natura exigere possit, neque elocare tenetur. 1548. A. 60.

Praelati facta protestatione super desumtione decimae, eas usque futura Comitia in statu quo permittunt, de cetero cui, et quanti volunt, ut alii Nobiles, libere elocare possint. 1553. A. 8.

Praelati decimam antiquo pretio arendare obligantur. 1647. A. 95.

Eas circa festum S. Georgii per denunciationem, cum praerogativa tamen DD. terestrium elocent. 1547. A. 35. 1546. A. 55. et 1548. A. 61. et quidem, si pretium decimae ab antiquo limitatum, eodem pretio tenetur dominus decimae domino terestri exarendare, 1548. A. 61. 1638. A. 48. si tamen cum domino terrestri convenire nequeat, alteri exarendare possit. *ibid.* — Si denique pecuniam cum S. Georgii festo pro decima elocari solita, post admonitionem non levet, reposita ad manus judiciarias summa, arendator tollit decimam. 1647. A. 95.

Ceterum vide: *Decima. Episcopus.*

Praelatus Regi praestet homagium fidelitatis. 1mae 12.

Ad Comitia compareat, vel si impeditus sit, ablegatum, Nobilem possessionatum loco sui mittat. 1723. A. 7.

A personis ecclesiasticis pro subsidio belli decimam proventuum partem per hominem Dioecesanum incasset. 1542. A. 27.

Praelatus bona ecclesiastica auctoritate Regia revindicet. 1550. A. 20.

Sub animadversione regia in suo beneficio resideat. 1723. A. 55. 1741. A. 16.

Praelatus desumptionem decimae, aliaque negotia Parochis procuranda non committat. Ulad. D. 4. A. 36.

Subsidium charitativum a Parochis pro bullis suis nonnisi semel, idque post quatuor annos primum petere possit. Ulad. D. 5. A. 12.

Parochum invito Patrono, sub amissione decimarum, in conservationem castrorum finitimorum applicandarum, non investiat. Ulad. D. 3. A. 66. D. 5. A. 26. et 1647. A. 100.

Nobilem absque scitu regio non excommunicet. Lud. D. A. 1. Math. D. 6. A. 28.

Praelatus bona ecclesiarum impetrare, vel in pignus recipere, aut emere non possit. Ulad. D. 3. A. 55.

Praelatus in expeditione latus Regis stipet. 1542. A. 26. et 32. et Banderia ad insurrectionem statuat. Lud. 2. D. 1. A. 2. Lad. Posth. D. 2. A. 3. Ulad. D. 5. A. 24. Lud. 2. D. 7. A. 9. etc. *quae vide sub titulo:* **Abbas.**

Praelati ad commune Comitatus onus, sub poena trium marcarum levis ponderis concurrere obligantur. Math. D. 6. A. 64.

Sedecimam dent Parochis. Ulad. D. 3. A. 50.

Praelatus decreta Regni violans, beneficium amittat. Ulad. D. 6. A. 8. 1647. A. 5. et 14.

Praelatus die prima Comitiorum non comparens, vel ante decimum quintum diem abiens, in ducentis marcis g. p. convincatur. Ulad. D. 3. A. 1. *item:* 1635. A. 79.

Executioni articulorum, intuitu Religionis latorum se opponens, prima vice in sexcentis flnis, vice secunda in amissione beneficii convincatur. 1647. A. 14.

Praelatus contributionem, vel subsidium Regi citra Comitia offerens, ut perjurus infamis habebatur. 1681. A. 12.

Assessoratum Octavalem recusans, Praelaturam amittat. Ulad. D. 6. A. 4.

Colonum alienum abducens flnos centum solvat, et adhuc reddere nolens, in aestimatione villae, in qua abductus detinetur, convincatur. Ulad. D. 7. A. 27.

Praelatus Capituli, vel Conventus, si seorsiva habeat bona, si actus potentiarios seorsive patraverit, seorsive evocetur, et juramentum seorsive deponat. Si vero indivisi fuerint, simul evocantur juramentum praestant, convincuntur in solidum, et de bonis communibus fit executio. 2dae 49.

Praelatus in Sententia emendae capitis convictus, solum homagium praestat, et damna reparat. 2dae 51.

Ob antecessorum delicta gravari non potest; — excipe: si intuitu bonorum Ecclesiae, vel ut Praelati communitatis actus patratus fuisset. *ibid.*

Praelatus si causam contra secularem amisit, in eadem poena punitur. Math. D. 6. A. 28.

Praelati ratione actuum civilium, et bonorum, subsunt judicio seculari. 1mae 12., et non obstante quovis privilegio de non comparendo, coram Magistratualibus juri stare debent. Ulad. D. 2. A.15.

Praelatum in Diaeta, judiciis, vel congregationibus, aut horum causa proficiscentem occidens, caput amittat. 1723. A. 11.

Praelatum, qui ob denegatam sibi legitime decimam, aliquem excommunicat, Rex, vel Locumtenens judicat. Ulad. D. 5. A. 23.

Ceterum vide: *Episcopus. Ecclesiasticus. Metropolita. Abbas. Capitulum.*

PRAEPOSITUS.

Vide: *Abbas. Capitulum.*

PRAESCRIPTIO.

Praescriptio in regalibus contra Fiscum regium requirit annos centum *usus pacifici.* 1mae 23. et 78. etiam in jure educilli. D. C. P. 1. T. 20. d. 15. et bonis ex nota infidelitatis occupatis. *ibid.* 16.

In juribus *Ecclesiarum* requirit annos quadraginta. 1mae 78.

In juribus nobilitaribus, et actibus potentiariis annos triginta duos. 1mae 78.

In Civilibus antea requirebat annos duodecim. 1mae 78.; hodie annus unus, et dies unus sufficit. 3tiae 15.

Villani denique inter se mutuo anno uno, et die uno praescribunt. 1mae 78.

Praescriptionem allegans, quid, quantum, quali tempore possideat, in specifico docere, et possessorio applicare debet. D. C. P. 1. T. 20. d. 13.

Praescriptio actuali possessori, et non alteri ad acquirendum opitulatur; neque requirit bonam fidem. *ibidem.* 13. et 14.

Praescriptio locum habet in causis tutelaribus. 1655. A. 24.

Etiam inter Fratres obtinet, dum alter fratrum, alteri portionem suam perennaliter fatetur, et alter triginta duobus annis pacifice eam possedit. D. C. P. 1. Tit. 20. d. 17.

Ea suffragatur foeminis in bonis solos masculos concernentibus. D. C. P. 2. S. 1. T. 4. d. 16.

PRESBYTER.

Presbyterum, et libros ejus Episcopus provideat. S. Steph. D. L. 2. c. 34.

Presbyter de ferro candenti duas, et de aqua bullienti unam pensam accipiat. S. Lad. L. 1. c. 28.

Presbytero Parochiani tres denarios solvant. Colom. D. L. 2. c. 5.

Presbyteri res, equos, arma Nobilium, contra rusticos amissa, sub poena excomunicationis reddi procurent, nec auferentes prius absolvant. Ulad. D. 7. A. 51.

Presbyter solvit decimas Ecclesiae, in cujus territorio terras habet. Colom. D. L. 1. c. 66.

Presbyter in festo venans ab ordine deponitur. S. Lad. D. L. 1. c. 12.

Beneficiatus Presb. si arma, et pixidem deferebat, per V. A. Diaconum, vel Praelatum carceri mancipabatur. Ulad. D. 7. A. 60.

Si incuria ejus res Ecclesiae periit, triplum solvat. S. Lad. D. L. 1. c. 6.

Si ab Ecclesia longius recessit, decem pensas solvebat. Colom. D. L. 2. c. 12.

Presbyteri bigami separabantur, et renitentes degradabantur. S. Lad. L. c. 1.

Presbytero concubina auferatur. Colom. L. 2. c. 12.

Presbyteri, si decretis, connivente Episcopo non paruerant, ipse Episcopus a Rege, et Coepiscopis judicabatur. S. Lad. L. 1. c. 4.

Presbyter rusticorum concitator, puellae, vel mulieris violator, etiam per famulos detineri, et Praelato consignari poterit, et carceri perpetuo mancipatur. Ulad. D. 7. A. 48.

Vide: *Ecclesiasticus. Filii Presbyterorum et Parochus.*

PRIMAS.

Primas Regni, Archi Episcopus Strigoniensis ad legalem auctoritatem suam reponatur, eique duplex siggillum Regium consignetur. 1741. A. 10. 1751. A. 3. et 1790. A. 24.

Eum in magnis, et arduis negotiis Rex consulat. 1741. A. 11. et 1790. A. 17.

Vide: *Metropolita.*

PRIOR AURANAE.

Prior Auranae a Ludovico primo institutus, ex officio fidem tueri, et castitatem servare tenetur. 2dae 54.

Communi cum aliis Praelatis jure gaudet. *ibid.* et Procuratorem sub proprio Sigillo constituit. 2dae 13. etc. vide: *Praelatus.*

PRIVIGNA.

Privignam violans caput amittat. 1723. A. 11.

Privigna cum vitrico incestum committens, virgis, et proscriptione punitur. Pr. Cr. P. 2. A. 74.

Vide: *Noverca*

PRIVILEGIUM.

Privilegia ecclesiastica inviolabiliter observentur. 1557. A. 10.

Privilegia Parochorum confirmantur. 1557. A. 10. et 1647. A. 102.

PROTESTANS.

Protestantes in exercitio Religionis, et confessionis suae, citra tamen praejudicium Religionis Catholicae non turbentur. 1606. A. 1. Pacif. Vien. 1608. A. 1. 1618. A. 77. 1622. A. 2. 1625. A. 22. 1630. A. 33. — 1635. A. 29. 1637. A. 1. 1647. A. 5. 1790. A. 26.

Protestantes templorum, Campanarum et sepulturae usum habeant. 1647. A. 5. 1790. A. 26.

Protestantes, et Catholici, sub amissione bonorum, et beneficiorum, templa, scholas, parochias invicem ne occupent. 1681. A. 26. 1687. A. 21. 1715. A. 30. 1790. A. 26. occupata vero vicissim sibi restituant. 1606. A. 1. *Pac. Vien*

Protestantes in Comitatibus, in quibus in possessorio templorum, scholarum et parochiarum actu sunt, permaneant. 1681. A. 26.

Magnates, et Nobiles utriusque Confessionis oratoria et sacella libere erigere, et dotare possint. *ibid.*

In Liberis, Regiis, ac Montanis Civitatibus templa propriis sumptibus in loco a Commissariis defixo, erigere possint. 1681. A. 26. 1687. A. 21. 1715. A. 30.

Protestantes rustici pro Concionibus ad catholicas Ecclesias, vel vicissim protestanticas ire possint. 1647. A. 7. 1790. A. 26.

Protestantes catholicis Parochis, et catholici Ministris Evangelicorum nihil solvant. 1681. A. 26. 1687. A. 21. 1790. A. 26., nisi forte ipsi opera catholicorum Parochorum uti velint. *ibidem*.

Operas ad scholas, parochias, et ecclesias Catholicorum Protestantes praestare non teneantur. 1790. A. 26.

Protestantes omnium officiorum regiorum sint capaces. 1606. A. 9. *Pacif. Vien.* 1790. A. 26. ad officia Consiliariorum regiorum admittantur. 1608. A. 10. 1790. A. 26. ita et ad officia Judicum. 1622. A. 2. 1638. A. 1. etiam supremi et vice Capitanei creari possunt. 1622. A. 23. citra omne Religionis discrimen pro Judicibus, et Senatoribus Liberarum, Regiarumque Civitatum, mixtim, et alternatim eligi possint. 1608. A. 13. 1609. A. 44.

In Slavonia tamen Croatia, et Dalmatia nec privata officia gerere, neque bona possidere valent. 1687. A. 23. 1715. A. 30. et 125. 1723. A. 86. 1741. A. 46. 1790. A. 26. nisi si in inferiori Slavonia in possessorio sint, nec in tali, nec in Religionis exercitio turbentur. 1790. A. 26. ceterum tam bona sua in his Regnis revindicare ita, ut Rex de indemnitate eorum provideat; quam et in gratiam commercii, et fabricarum domicilium figere, non tamen Fundos possidere possint. 1790. A. 26. §. 14.

Protestantes libere praetensiones suas per instantiam Comitiis proponere possint. 1681. A. 26. 1687. A. 21. 1715. A. 30.

PP. ad caerimonias confessioni suae contrarias non cogantur. 1681. A. 25. 1687. A. 21. 1715. A. 30. 1790. A. 26.

Ssholas triviales, et grammaticales, ubique libere, altiores vero nonnisi cum consensu regio inducere valeant. 1790. A. 26.

Ludimagistros, Professores, Rectores, subrectores, Directores, Curatores libere constituere possint. 1790. A. 26.

Catholici ad confessionem quamcunque Protestantium, per nudam insinuationem et quatuor septimanarum in proposito manifestatam constantiam, transire possunt. 1844. A. 3. vide *Catholicus.*

Protestantes studiosi ad Academias exteras libere migrare possint. 1790. A. 26. ibidemque stipendia sua libere trahant. *ibid.*

PP. a clausula juramentali: *Per Beatam Virginem Mariam, et Sanctos ac electos Dei.* absolvuntur. 1790. A. 26.

Protestans laesus nomine suo, non communi conqueratur. 1715. A. 30.

PP. nullas Collectas faciant. 1715. A. 31.

Eleemosynae tamen per eos collectae non adimantur, ademtae restituantur, et administratio fiat per eos, ad quos spectat, salvo jure inspectionis supremae. 1790. A. 26.

PP. in libris suis scommatibus, et sareas-

mis in Religionem Catholicam non utantur. 1790. A. 26. Ex Libris neo-impressis tria exemplaria Regi submittant. *ibid.*

PP. Festa Catholicorum, pro Foro externo observent, neque servos, vel subditos, sub actione Fiscali, ad strepitosos labores cogant. *ibid.*

PP. in coordinatione Superioritatis, religionis ac disciplinae Rex audiet. *ibid.*

In gradibus lege prohibitis matrimonia Rex dispensabit. *ibid.*

Synodum sine scitu, et consensu regio celebrare non possunt. 1715. A. 31.

RAPTUS.

Raptus puellae a potentiori decem juvencis, a pauperiori quinque bobus expiabatur, et puella parentibus reddebatur. S. Steph. L. 2. c. 25.

Violentus Uxoris, vel Viduae, vel monialis raptor, prout et mediate talem adjuvans gladio plectitur, et in aggravantibus circumstantiis poena quoque aggravatur. Pr Cr. P. 2. A. 78. nisi rapta voluntarie matrimonium cum raptore suo iniit, si item majorenis sit, si non vi, sed persvasionibus abducta, si persona sit inhonesta, si rapta ante Copulationem non cognita; tunc etiam mediatus adjutor poena arbitraria, virgis, et proscriptione solum punitur. *ibid.*

Raptum christianae committens Judaeus, Turca, infidelis, gladio puniatur, vel si peccatum consummavit, cadaver ejus comburatur. *ibid.* A. 82.

Raptus violentus honestarum mulierum, antiquatur annis viginti. Pr. C. P. 1. A. 43.

Eum olim Episcopus, vel Archi Diaconus judicabat. Colom. D. L. 1. c. 59.

Abductio ad matrimonium filiae nobilis a nobili, vel si nobilis ignobilem puellam abducat, uterque aresto, relegatione, et deprecatione parentum puniatur. Si vero ignobilis nobilem puellam abducat, Abductor, (raptor) aresto, jejunio, et alia arbitraria poena plecti, abducta parentibus castiganda tradi jubetur. Pr. Cr. P. 2. A. 79.

Si utraque ignobilis sit persona, aresto, jejunio, poena ecclesiastica, et deprecatione parentum adjuvans autem, carcere, jejunio, columna infamiae, et proscriptione, pro circumstantiis puniatur. *ibid.*

Nondum matrimonio inito in corpore,— nulla mulcta pecuniaria locum habente, — puniatur abductor, vel raptor, vel seductor, abducta vero parentibus castiganda tradatur. *ibid.*

Abductor semper gravius puniatur, quam abducta. *ibid.*

RECONCILIATIO ECCLESIAE

Si violatio Ecclesiae per gentes Majestatis facta est, tunc Rex, si vero per privatorum homines, per hos Ecclesia reconciliari procuretur. Math. D. 6. A. 61.

RELIGIO.

Cum nulla ratione possent Episcopi munus rite exercere, nisi patienter audiantur ab iis, ad

quos docendos missi sunt, tum ipsi tum ipsorum ad id electi Ministri: Ac nisi plebs subdita pareat eorum doctrinae, praeceptisque, et desinant hi, qui plus ceteris videantur posse, moliri aliquid contra ipsorum pios conatus: neque solum Concionatores ad docendum missos libere admittant, verum etiam teneantur pro viribus defendere. §. 1. Videtur idcirco is modus adhibendus esse, ut *seculares omnes*, sine ulla controversia obedientes se se praebeant eorum Episcopis, et ad id per eos delectis Ministris, in his videlicet: *quae ad Deum, ejusque cultum spectant;* neque contra eorum doctrinam quovis modo se se audeant efferre, sed si quid deliberatione egere alicui videretur, relinquat id totum Generali Concilio dirimendum. §. 2. in quo, si quae in fide, et Religione reformanda esse videbuntur, divina inspiratione informatum iri sperandum est. §. 3. Interim autem, *veteribus Sanctae Ecclesiae Catholicae institutis insistendum, nec cuiquam, quovis praetextu ab illis quoquo modo videtur esse discedendum.* Ferdin. D. 12. 1550. A. 16.

Episcopi habeant potestatem, res Ecclesiasticas — *Religionis* — providere, regere, et gubernare, atque dispensare, secundum **Canonum** authoritatem.

Volumus ut laici eorum ministerio obediant, ad regendas Ecclesias, Viduas, et orphanos defensandum, et ut obedientes sint eis ad eorum christianitatem servandam. S. Steph. D. L. 2. c. 2.

Nullus Comitum, vel militum in Ecelesia praesumat sibi vindicare potestatem, praeter solum Episcopum. Colom. L. 1. c. 65.

Licet quidem in negotio Religionis, Augustanae, et Helv. Confessieni addicti, Articulis 25. et 26. novissimae Diaetae Soproniensis, oppositam iisdem per reclamationem suam abutentes, ipso facto eorundem beneficii participes esse desiissent; propter bonum nihilomiuus domesticae unionis, et pacis, internamque Regni tranquillitatem, cum Sua Majestas Sacratissima ex *Gratia* et *clementia sua* praecitatos articulos *adhuc* ratos fore benignissime resolvisset; eosdem SS. quoque et OO., ad mentem paternae resolutionis, *Cleri, et aliorum secularium catholicorum contradictione non obstante*, pro renovatis, et priori firmitati restitutis censendos statuerunt. Leop. 1. Decr. 4. 1687. A. 21.

Sua Majestas Caesareo-Regia, ex *Gratia* et *Clementia Sua* praecitatos Articulos 1681. et 1687. in genuino sensu hactenus declarato *adhuc* censuit confirmandos, omniaquae ad Articularem Statum, et genuinum eorundem sensum, secundum explanationes regias, reponenda, et manutenenda, *non attenta quorumvis contradictione.* 1715. A. 30.

Religionem concernentes constitutiones in suo vigore maneant. 1552. A. 7. 1553. A. 7. 1554. A. 7. 1563. A. 31. qui articuli confirmantur. 1649. A. 10. 1655. A. 18.

De Religione in Diaeta quaestionem moven-

tes puniantur. 1604. A. 22. sed articulus hic, tamquam per Regem additus, suffertur. 1606. A. 1. *Pacif Vien.*

Religionem Catholicam tutantes constitutiones confirmat Rex *Rudolphus.* 1604. A. 22.

Religio Catholica ad pristinam normam reducatur, et haereses tollantur. 1548. A. 5. 1550. A. 12. 1556. A. 25.

Vide: *Catholicus. Protestans. Ecclesia. Episcopus. Statutum.*

RELIGIOSUS.

Vide: *Monachus.*

RELIQUIAE.

Reliquiae Sanctorum nisi a Religioso, et Clerico per viam portentur. Colom. D. L. 1. c. 69.

RESTITUTIO.

Restitutio locum habet, si ex terris, licet exstirpatitiis, sed ex usu decimam dans, talem deneget, et processus ad poenam dupli erectus sit. D. C. P. 2. S. 3. T. 20. d. 8.

Restitutio in integrum in bonis neo occupatis fiat per magistratuales intra annum. 1542. A. 5.

Ea si praefixo termino fiat, Vice Comes fructus quoque, expensas, et damna, non item lucrum cessans reposito adjudicabit, appellata extra dominium competente. 1807. A. 13.

Eam faciens vice Comes in summaria via ad quaestionem juris se non immittat, sed disquirat, an in pacifico usu fuerit spoliatus? 1807. A. 13.

Ea si impedita fuerit. facta relatione, Universitas brachium decernit. *ibidem.*

Ea sub acquisitione damni si petatur, Judicatus Judicis Nobilium condescendit. D. C. P. 2. S. 3. T. 17. d. 3.

Absolutionem Sacerdos non impertiatur ulli, priusquam bona nobilium, praeter alia in praelio amissa restituerit. Ulad. D. 7. A. 51.

REX.

Rex Hungariae sit masculus primogenitus ex Leopoldina Domus Austriacae linea descendens. 1687. A. 2. etiam lineae Hispanicae successio in Regno defertur ita, ut Regem libere eligere possint. SS. et OO. deficiente tam Austriaca, quam Hispanica linea masculorum Augustae Domus Austriacae. *ibid. art.* 3. 1715. A. 2. et 3. qui tamen articulus extensus est etiam ad sexum foemineum. 1723. A. 1. et 2. et si etiam foeminea Augustae Domus Austriacae linea deficeret; attunc Rex libere eligatur. *ibid.* et 1741. A. 2. 1790. A. 2.

Rex Hungariae Apostolicus dicitur, ideo etiam duplicatam crucem habet. 1mae 11.

Rex seminaria, convictus, collegia, et fundationes pias, an menti Fundatoris satisfiat, qua Rex Apostolicus inspiciendi potestatem sibi reservat. 1715. A. 74. item 1723. A. 70. et 105.

Rex desolatas Ecclesias incuria beneficiatorum, ex sequestratis eorum proventibus restaurabit. *ibid.* Art. 71.

Rex jure Advocatiae ecclesiasticae decreta, et constitutiones pro Religione catholica editas confirmat. 1604. A. 22.

Rex qua supremus Patronus Ecclesias in juribus suis conservabit. 1790. A. 23. Ecclesias de manibus laicorum vindicabit, neque ulli amplius conferet. 1537. A. 19.

Rex Ecclesiam debet augere, et ne detrimentum capiat, caveat. S. Steph. D. L. 1. c. 2.

Etiam res mobiles Ecclesiarum revindicet. 1567. A. 31.

Rex Praelatorum, et Ecclesiasticorum successor est, et patronatus jure omnia beneficia ecclesiastica confert. 1mae 11.

Episcopos pro arbitrio, sed cum praerogativa nobilitatis eligat. 1606. A. 5.

Solus beneficia ecclesiastica omnia, idque solis Hungaris conferre possit. Ulad. D. 5. A. 10. et D. 2. A. 30. Lud. 2. D. 7. A. 21.

Idoneo beneficium conferat, si Praelatus tale minus idoneo contulit. Ulad. D. 3. A. 67.

Ecclesiarum, et Monasteriorum Sigilla habentium patronatum sibi reservat. Math. D. 3. A. 18.

Praeposituris, et Conventibus dignos praeficiat, bonaque eorum vindicet. 1567. A. 31.

Unum beneficium auferat ei, qui duo possidet, et alteri conferat. Ulad. D. 3. A. 56.

Duo beneficia nulli conferat, sed alterum non collatum castrorum finitimorum conservationi applicet. Ulad. D. 7. A. 59.

Beneficium a Curia Romana dependens, intra annum elibertet. Ulad. D. 3. A. 56.

Primati, qua Secretario Cancellario duplex Sigillum det. 1741. A. 10. 1751. A, 3.

Siquis Regem a recto proposito pervertere tentaverit, abscindendus, et projiciendus est. S. Steph. Decr. L. 2. c. 1. §. 4.

Juramentum Regis Hungariae est sequens: Juramus per Deum vivum, per Ejus S. Genitricem Virginem Mariam et omnes Sanctos, quod Nos *Ecclesias Dei*, *Dominos Praelatos*, etc. in suis Juribus, Privilegiis conservabimus. etc. 1715. A. 2. §. 9.

ROMA.

Romam praeteritis Regni Judicibus recurrens, si beneficiatus sit, beneficium, secus caput amittat. Math. D. 3. A. 19.

Praeterito Episcopo Dioecesano, nullae causae, nisi instar appellatae, Romam deduci possunt, secus facientes puniantur. Math. D. 6. A. 45. Ulad. D. 1. A. 45. et D. 3. A. 63. excipe si causa ex privilegio in Regno judicari non possit. *ibid.*

Romam deferentes lites decimales, ad Sedem judiciariam Majestatis eas revocent, secus Majestas comparenti parti justitiam administrabit. Math. D. 6. A. 44.

Romam proficiscens beneficiatus, ex patrimonio suo tantum Sacrae Coronae inscribat, quantum beneficium infert; carens vero patrimonio, literas assecuratorias a Pontifice impetret de eo, quodsi Romae moreretur, beneficium salvum maneat. Ulad. D. 7. A. 65.

RUTHENUS.

Rutheni sessiones colonicales possidentes, subsidium duorum flnorum solvant. 1557. A. 3. 1559. A. 12. 1572. A. 6. 1574. A. 4. 1575. A. 2. quod ipsum revocatur articulo 2. 1578.

Rutheni subsidium trium flnorum 1593. A. 4. tum vero novem florenorum solvant. 1595. A. 10.

Rutheni non quidem domos, sed pecora notabili numero habentes, dimidiam subsidii duorum florenorum per quadrienium solvant. 1563. A. 4. 1567. A. 12. 1574. A. 4. Quodsi vero ad evitandum subsidium fugerint, dominus duplum pro iis solvet. 1563. A. 4.

RR. juxta limitationem Vice Comitis, et potiorum Nobilium subsidium belli praestabunt. 1596. A. 10. 1598. A. 15. 1647. A. 26. ac etiam militem juxta limitationem V. Comitis statuent. 1595. A. 10.

Rutheni decimas non solvant. Ulad. D. 2. A. 45. D. 4. A. 29. 1569. A. 28. 1574. A. 4. si vero emerunt praedia decimis subjecta, ab his decimas solvent. Ulad. D. 4. A. 29.

RR. decimas suis Episcopis dare obligationi agnoscuntur. 1574. A. 4.

RR. ad bona Nobilium ne eant, neque subditos eorum abducant, secus coram Palatino conveniatur. Ulad. D. 3. A. 47.

Rutheni furtum committentes per Dominos terrestres puniantur. 1574. A. 4.

RR. Oroszienses, deficiente impetratore, S. coronae applicentur. 1715. A. 34.

SACERDOS.

Quod Deus Episcopos ab hominibus interdixerit reprehendendos per David Deificum Regem: „*nolite tangere Christos meos*“ ille autem tangit Christos Dei, qui contra Divinum, atque Canonicum Institutum sacri ordinis viros falsis criminibus foedat, atque in publicum protrahit. S. Steph. L. 1. c. 3.

Scitote Fratres: quod supra omnes laborant Sacerdotes; unus quisque enim vestrum suum fert laborem proprium; illi vero et suum et singulorum; ideo sicut illi pro omnibus vobis ita vos pro eis laborare debetis, in tantum, ut, si necessitas fuerit, animas Vestras pro eis ponatis. S. Steph. D. L. 2. c. 4.

Probi pro Sacerdotio, et beneficiis deligantur. 1548. A. 6.

Sacerdos catholicus admittatur captivo Protestanti, talem expetenti. 1790. A. 26.

Sacerdos Catholicus zelosus damnato ad mortem adjungatur, qui eum ad confessionem, et communionem, praeparet, soletur, et pridie eidem Eucharistiam porrigat. Pr. Cr. P. 1. A. 51.

Vide: *Ecclesiasticus. Presbyter. Parochus.*

SACRIFICIUM.

Sacrificium ritu gentilium ad puteos, arbores, et lapides facientes, bove mulctentur. S. Ladisl. D. L. 1. c. 22.

Vide: *Missa.*

SCHOLA.

Scholas Episcopi, et Praelati erigant. 1548. A. 6.

Scholae earumque Magistri, et studentes ex bonis desolatarum Ecclesiarum subsidia accipiant. 1548. A. 12. 1550. A. 19.

Scholae subsidium domale non solvant. 1598. A. 4. Militibus quarterium dare non teneantur. 1715. A. 43.

Scholas Evangelici erigere possint, in locis, ubi Catholici eorum templa retinuere, et pro iis dominus terrestris fundum assignabit. 1647. A. 10. et 19. 1681. A. 26. 1790. A. 26. Eas vero occupans primum in sexcentis flnis, et executioni se opponens, ecclesiasticus in amissione beneficii, secularis vero in amissione bonorum convincatur. *ibidem.*

Scholas Protestantes, et Catholici invicem, sub amissione omnium bonorum, et beneficii non occupent. 1681. A. 26.

Scholares telonia, et decimas non solvant. Szilágyi D. A. 10.

Scholares arma, et pixides deferentes, eas amittant, et per quemcunque, etiam rusticum detineri possint. Ulad. D. 7. A. 60.

SEDES SACRA, alias SACRA SEDES.

Sedes Sacrae suis temporibus juxta Canones celebrentur. 1567. A. 25.

Sedes Sacrae in suo vigore maneant. 1606. A. 7. Pacif. Vien. 1608. A. 7.

Sacra Sedes judicat solum dotem, paraphernа, quartalicia, decimas, verberationes Clericorum, et mulierum, testamenta, matrimonia, perjuria, Szilágyi A. 9. Math. D. 1. A. 3. Ulad. D. 1. A. 46.

Judicat testamenta, sed tantum ad solennitates externas. 1647. A. 15. 1715. A. 27.

Judicat testamentum dolo, et fraude compillatum. *ibid.* non tamen judicabat testamenta, et haereditates civiles, de piis causis haud sonantes Ulad. *Articulo Tavern.* 7.

Judicat matrimonia mixta, quae seu ab initio, seu subinde mixta effecta sunt. 1790. A. 26.

Judicat etiam si Ordo religiosus rudera Ecclesiae, vel Monasterii revindicare velit. D. C. P. 1. T. 6. d. 10.

Judicat mysteria, sacramenta, haeresim, usuras, et omnes causas, in quibus excommunicatio incurritur. Math. D. 1. A. 3. et D. 2. A. 17. et praeter has causas alias non judicet. Math. D. 3. A. 17. sicut et

Non judicet causas seculares. Ulad. D. 3. A. 60.; item de facto juris possessionarii sub poena aestimationis ejus. *ibid.* A. 62.

Neque causam ad forum profanum pertinentem acceptet. Ulad. D. 5. A. 25.

Judices spirituales neminem compellant ad respondendum coram se in causis profanis, sub poena excommunicationis, vel aliter; si vero quis metu, vel ignorantia ductus sententiae tali respondeat, nullius sit momenti; Et propter ex-

communicationem homagium excommunicati persolvat. Ulad. D. 3. A. 61.

Sacra Sedes evocationes nonnisi cum expositione decernat. Ulad. D. 5. Art. 25.

In ea Procuratores exteri nec agere, sed nec habitare possint, ubi S. Sedes residet. 1569. A. 41.

Sedes haec judicat etiam tempore belli Nobiles, et alios, decimas, et quartas dare renuentes. 1596. A. 55.

Sedes sacra in omnibus causis, praeter matrimoniales, juristitium diaetale, messoriale, et vindemiale observet. 1618. A. 70. 1723. A. 29.

Quamlibet causam, praeter matrimoianlem, ad mandatum Judicis Regni Ordinarii declinatorium transmittere obligatur. 1618. A. 70. 1638. A. 31. 1647. A. 15. 1715. A. 19.

Judici saeculari teneatur transmittere causam quam hic putat ad suum forum pertinere, secus amittat beneficium; si tamen Judex secularis observaverit, eam ad Forum spirituale pertinere, eandem remittere obligatur. Ulad. D. 1. A. 46. 1618. A. 70.

Sedes Sacra causam erga mandatum declinatorium Judici seculari transmittere non possit, ut primum reus conventus in disputationem se immisit, et Sententia aliqua lata est. 1630. A. 13.

Sacra Sedes Metropolitana, in Causis fori suffraganei non potest esse forum primae instantiae, sed appelatorium. 1638. A. 31.

Sacrae Sedis sententias Judex secularis exequi tenetur. S. Steph. D. L. 2. c. 2, 1552. A. 25.

1588. A. 45. 1596. A. 55. 1662. A. 29. et. D. C. P. 2. Sect. 3. Tit. 25.

Eam vero exequi nolens Judex secularis convictus, ad Sedriam intra, ab hac ad Tabulam Regiam extra dominium appellare potest. 1729. A. 29.

Sedes Sacra, et Jurisdictiones Ecclesiasticae lingva hungarica cum Jurisdictionibus secularibus correspondere teneantur. 1840. A. 6. Imo sacrarum sedium lingva propria hungarica tantum erit; hoc est: negotia consistorialia lingva hungarica pertractari, Protocollaque hac scribi, et expediri debebunt. 1844. A. 2. §. 6.

Ceterum vide: *Sententia.*

SEMINARIUM.

Seminaria inspiciendi jus, Rex qua Apostolicus sibi retinet. 1715. A. 74.

Eadem nomine regio, qua delegatus visitator Episcopus Zagrabiensis visitabit, rationes exiget, et relationes Regi praestabit. 1729. A. 21.

SENTENTIA.

Sententia, cujus effectus ex rationabili causa impeditur, in suo vigore permaneat. 1543. A.29.

Sententia in suo vigore manet in Processu fundamentali, etiamsi succumbens repulsione utens, a poenis repulsionis absolutus fuit. D. C. P. 1. T. 27. d. 4.

Sententiae omnes juxta Decreta latae, executioni dentur. 1606. A. 12. 1635. A. 65. etiam in

Juristitio. 1792. A. 16. et Judex requisitus exequi tenetur. Lud. 2. D. 2. A. 4.

Sententiae Judicum non parentes, juxta leges puniatur. 1546. A. 31. 1599. A. 39.

Sententias judiciarias in judicio vellicans, proque falsis declarans, in violatione Sedis judiciariae, seu viginti quinque marcis gr. pond. convincitur, quas si illico deponat, in viginti quinque marcis levis ponderis acceptantur, appellata extra dominium competente. D. C. P. 1. Tit. 21.

Si adinventum fuerit, quod Judex exequens sphaeram actionis, vel sententiae excesserit, triumphans expensas, et fructus accipit. 1807. A. 11.

Sententia ad Appellatam non perducta abit in rem judicatam. 3tiae 35. et quidem abit in rem judicatam, nisi eadem die, qua lata est, appelletur. D. C. P. 1. T. 23. d. 12. *Sedes tamen Consistoriales de dictamine in Parte 1ma citatorum Canonum pro appellata decem dierum moram admittunt.* Vide in Parte 1ma **Appellatio.**

Sententia intra annum executioni non data renovari, exmissioque nova decerni debet. D. C. P. 2. Sect. 1. Tit. 24. d. 1. et per novam citationem, vel mandatum renovatorie executorium resuscitatur. *ibid.* §. 5.

Sententia ex contumacia lata, si nullas legitimas non comparitionis causas intra quindenam adferat convictus, executioni, absque ullo juris remedio datur. 1729. A. 38. prout et sententia ex *non defendit* lata appellatam non admittit. D. C. P. 1. Tit. 23. d. 8.

Sententia interlocutoria non appellatur. 1729. A. 41.

Sententiae seculares in causis matrimonialibus sub Josepho latae omnes civiles effectus habeant. 1790. A. 55.

Sententiam forum spirituale si tulit, reus conventus mandatum declinatorium amplius impetrare non possit. 1630. A. 13.

Sententia Vicarii, vel Officialis exteri nulla sit, et irrita. Ulad. D. 2. A. 32.

Vide: *Sedes Sacra.*

SENTENTIONALES.

Sententionales literae non prius sigillentur, quam coram Judicibus perlectae, et libro cum nominibus Judicum insertae fuerint. *Art. Tav.* 9.

Eae in causa haereditaria civili redimuntur flnis sex auri. *Art. Tav.* 24.

Earum taxa in actibus Nobilium potentiariis sunt floreni decem, scribentis vero denarii ducenti. Sigis. D. 6. A. 11. Math. D. 6. A. 76. Ulad. D. 1. A. 98.

In actu minoris potentiae redimuntur flnis sex. 1609. A. 72.

SEPULTURA.

Sepultura libera sit Catholicis in locis, in quibus Protestantibus templa possessa relinquuntur. 1681. A. 26. 1715. A. 30.

Libera item admittitur Protestantibus. 1647. A. 5. 1790. A. 26.

Sepultura communis pro iisdem taxis admittitur Evangelicis, pro quibus Catholicis. 1647. A. 10. 1790. A. 26.

Eas impediens Evangelicis, in sexcentis florenis convincatur, et executioni se opponens Ecclesiasticus beneficium, secularis vero bona amittat. 1647. A. 14. 1790. A. 26.

Sepulturae Christianorum nonnisi in atriis Ecclesiarum fieri poterant. Col. D. L. 1. c. 73.

Caesi cadaveris sepultura prius ne fiat, quam jurati chirurgi numerum, qualitatem vulnerum, et arma, quibus caedes facta, investigaverint, secus effodiendum. Pr. Cr. P. 1. A. 25.

Pro sepultura interfecti, Archi, V. Archi Diaconus, et Parochus nihil exigat. Ulad. D. 1. A. 29. possit tamen ab occisoribus exigere. Ulad. D. 1. A. 29. Lud. D. Un. A. 2. Alb. D. A. 39. et Math. D. 6. A. 63.

Suicidae sepeliantur per carnificem infra patibulum. Pr. Cr. P. 2. A. 69.

Sepultura in defectu fundi praecedit omnes Creditores, auszugalistas, et dotem scriptam. D. C. P. 2. S. 2. T. 5. d. 36.

Cadaver in territorio occisi, jurati chirurgi inspiciant, quot, qualia, an lethalia vulnera, et quali armorum genere ei inflicta sint. Pr. Cr. P. 1. A. 22. et P. 2. A. 62.

In rixis occisi cadaver non sepeliatur, et si sepultum est, eruatur, ut chirurgi jurati inspiciant. *ibid.* A. 25. illud etenim occultans, vel sepelire volens, dat indicium sufficiens ad incaptivationem sui. *ibid.* P. 2. A. 62.

Infidelis incestum in linea recta, vim, adulterium, vel raptum in Christiano committentis, post poenam gladii, cadaver comburi jubetur. Pr. Cr. P. 2. A. 82.

Mortuum servum, villicum, vel hospitem non sepeliens, duodecim diebus in pane et aqua in cyppo jejunet. S. Lad. D. L. 1. c. 25.

SEQUESTRUM.

Sequestrum imponatur dilapidatoribus. 1723. A. 48. et siqui Praelatorum aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum Possessores Ecclesias, aut Beneficia sibi concredita desolari permitterent, talium proventus per suam Majestatem Ssmam, *qua summum Ecclesiarum Patronum*, in *Sequestrum* summi, et ad restaurationem praefatarum Ecclesiarum, ac Fundorum applicari valeant. *ibid.* 71.

Voluntaria sequestra executionem sententiarum judiciariarum impedire nequeunt; Moratoria autem Mandata cum diserto solum omnium creditorum consensu extradari poterunt. 1840. A. 27.

SOCRUS.

Socrus nurui suae, qua tutrici, et curatrici, ad revindicationem jurium se respitientium, cessionem si faciat, haec ad successionem, et divisionem agere potest. D. C. P. 2. S. 2. T. 1, d. 52.

Socrus cum genero incestum committens, virgis, et proscriptione puniatur. Pr Cr. P. 2. A. 74.

SODOMIA.

Sodomia contra naturam, post qualecunque tempus inquiri et puniri potest. Pr Cr. P. 1. A. 43.

Sodomiam cum pecore exercens, cum eo comburi, et cineres in aquam, vel aërem projici jubentur. *ibid.* P. 2. A. 73.

Eam cum puero, vel alio committens, gladio punitur, et cadaver comburitur. *ibidem.*

SPONSALIA.

Desponsatio in Ecclesia praesente Sacerdote, coram testibus fiat, secus fornicationis opus habeatur. Colom. D. L. 2. c. 15.

Sponsam ducens Nobilis, marcam unam non amplius in telonio solvat. Lud. D. Un. A. 17. Ulad. D. 1. A. 85.

Si sponsa in contractu matrimoniali marito contradotem pactavit, illa sine successoribus praemortua, contrados solvi debet. D. C. P. 2. S. 1. T. 19. d. 3.

Vide: *Matrimonium.*

STATUTUM.

Statutum contra libertatem Ecclesiarum diuturnam, vel privilegia iis concessa non valet. *Prolog.* Tit. 9.

Comitatus Statutum condere non potest, quod juribus aliorum derogat, praejudiciumque inferre possit. *Partis III.* Tit. 2.

Statutum Legem naturalem, vel divinam

tollere non potest, potest tamen distingvere, vel canonibus justis ex causis derogare. Prol. Tit. 9.

Statuta Diaetalia executioni dentur. 1723. A. 102. haec vero non observantes puniantur. 1543. A. 2. 1546. A. 25. *Hunyady*. A. 5.

STERILITAS.

Sterilitatem generandi viro, vel mulieri medicinam procurans, caput amittat. Pr. Cr. P. 2. A.67.

STIPENDIUM.

Stipendium juventuti bonis artibus vacanti ac Magistris ex bonis desolatarum Ecclesiarum detur. 1548. A. 12.

Stipendium isthoc retinere, et acquirere possit juventus hungarica scientiis militaribus vacans 1802. A. 4.

Isthoc praeferenter accipiant proles militum post viginti annorum servitia dimissorum. 1807. A. 1.

Stipendia sua juventus protestantica etiam in exteris trahere possit. 1790. A. 26.

STOLA.

Stola Parochorum defigatur. 1751. A. 12.

Eam Catholicus Parochus a Catholicis, ministri vero evangelici a suis percipiant. 1647. A. 12. 1790. A. 26.

Vide: *Parochus. Protestans.*

STUPRUM.

Stuprator puellarum caput amittat. 1723. A 11. prout et stuprator novercae, vel privignae. *ib id*

Vide: *Adulterium. Incestus.*

SUBSIDIUM.

Subsidium Regi diaetaliter solum resolvi potest. 1559. A. 15. 1715. A. 8. 1790. A. 19. 1808. A. 2.

Subsidium decretum ab omnibus in medium Comitatus conferatur, secus Capitanei compellant. 1543. A. 15. et illud solvant omnes non obstantibus antiquis exemptionibus. 1566. A. 8. solvant etiam bona regia, secularia, et ecclesiastica. 1595. A. 4. et 1598. A. 34.

Subsidium juxta taxationem Vice Comitis solvant Concionatores, et Parochi. 1595. A. 12. et 1602. A. 2.

Solvant etiam: dominus terrestris. 1601. A. 2. 1603. A. 3. 1604. A. 2. et Nobiles armalistae juxta taxationem V. Comitis. 1595. A. 6. 1602. A. 2. 1603. A. 3. etiam Praelati Barones, Magnates, Nobiles possessionati. 1596. A. 6. etiam Magistratuales Comitatus. *ibid.* et Civitates Regiae. 1593. A. 5. solvant libertini molendinorum, non obstante quolibet privilegio. 1546. A. 13. 1557. A. 3. 1563. A. 4. et alii libertini, demtis iis, qui Domino pro victu, et amictu serviunt. 1554. A. 4. 1557. A. 3. 1559. A. 12. 1595. A. 6. 1602. A. 2. 1603. A. 3. solvant denique molitores, et artifices. 1563. A. 4. 1567. A. 12. 1569. A. 8. 1574. A. 3. 1593. A. 4.

Subsidium solvant Rutheni, Rascianni, Valachi, sessiones colonicales possidentes. 1557. A. 3. 1559. A. 12. 1567. A. 12. 1574. A. 4. 1593. A. 4. 1595. A. 10. etc.

SUBSTANTIA.

Substantiam Parochi, seu testato, seu intestato morientis patronus non occupet. 1557. A. 10. 1647. A. 102.

Substantiae Ecclesiasticorum ad manipulationem, in specie vero conscriptionem et subdivisionem, ac sigilli reserationem, etiam cognati defuncti influant. 1840. A. 26.

Substantiam mobilem, immobilem, ac literas in nova divisióne sub juramento tenentur revelare partes, tutores, et curatores talia tractantes. D. C. P. 2. Sect. 1. T. 18. d. 16.

Substantia coloni, ob violatum Urbarium profugi, et non redeuntis, depuratis omnibus, pro subsidio addicitur communitati, ex qua profugit. *ibid.* Sect. 3. T. 13.

Substantia viduae coloni arbitrio Domini relinquitur, si alteri nupta, domum sine scitu domini deseruit. Urb. P. 8. §. 16.

SUICIDA.

Suicida per carnificem sub patibulo sepeliatur, et si delinquens fuit, cadaver ejus raptetur. Pr. Cr. P. 2. A. 69. sxcipe tamen si perturbatae mentis fuit, quod in dubio praesumitur, et tunc more christiano, loco solito, absquae caeremoniis sepelitur. *ibid.*

Suicida si testamentum condidit, illud, — demptis piis legatis, — non valet. *ibid.*

Suicidas chirurgi illico curatione, scissione, absque omni honoris praejudicio, sub poena gravi juvent. Pr. Cr. P. 2. A. 69.

Suicidium committere volens, sed impeditus captivus, puniatur. *ibid.* si vero extra captivitatem tale committere volens, poenituit, non a Judice criminali, sed Magistratu puniendus est. *ibid.*

Illud si committat mulier praegnans, uterus ejus illico aperiatur, ut vel proles servetur, vel mortua cum Matre sepeliatur. *ibid.*

SUPELLEX SACRA.

Supellex sacra, et aedificia religiosorum, et institutorum publicorum, non item Capitalia a centesima mobilium ad subsidium belli eximuntur. 1807. A. 2.

SUPERINTENDENS.

Superintendentes suos quaevis Religio habeat. 1608. A. 1. 1618. A. 77. 1625. A. 22. 1630. A. 33. 1638. A. 1. 1647. A. 5. 1790 A. 26.

SUPERIOR.

Si in perpetrando delicto superior inferiori auxilio fuit, aggravatur ei poena. Pr. Cr. P. 1. A.45.

SYNODUS.

Synodum Episcopi singuli bis per annum celebrent, ad quam vocatus non comparens, reus erit judicio. Col. D. L. 1. c. 2.

Synodum Episcopus celebrare possit, ad quam Parochi comparere obligantur. 1559. A. 41. a qua Parochi pecunia semet redimere non possunt. Ulad. D. 3. A. 68.

Protestantes absque consensu Regis nullam Synodum celebrent; secus cassatur, et annihilatur. 1715. A. 31. penes indultum vero, in loco a Rege praefixo, praesente Homine regio celebrare, et canones in ea condere possint, sed tales pro superinspectione Regi substernere obligentur. 1790. A. 26.

NB. Synodorum celebrationes modo supplent Consistoria, seu Judicia Sacrae Sedis, *et Congregationes Districtuales.* —

TEMPLUM.

Vide: *Ecclesia.*

TESTAMENTUM.

Testamentum filii in potestate patris constituti, de solis bonis proprio marte acquisitis, non item de paterno avitis condere possunt. 1mae 51.

Etiam Uxor, decedente ab intestato marito, de acquisitis condere potest. D. Cur. P. 2. Sect. 2. Tit. 1. d. 11.

Etiam rusticus pater de portione sua, post emancipatam filiam, absque praejudicio tamen conjugis. 3tiae 29.

Rusticus de acquisitorum parte media; si vero haeredem habeat duodecim annis minorem, huic totam substantiam testari, imo minorenni haeredem substituere potest. 3tiae 30.

Ut Ecclesiasticus, beneficium e collatione regia habens, de rebus mobilibus, et immobilibus aquisitis condere possit, facultatem testan-

di impetret, secus Conventioni Kolonichianae se accommodet. 1715. A. 16.

Si Uxor cum consensu mariti testamentum fecit, et prolibus primi matrimonii certam summam legavit, haec illis, prae prolibus secundi matrimonii excindi debet. D. C. P. 2. S. 2. T. 1. d. 44.

Uxor de clenodiis, et mundo muliebri testamentum condere potest. *ibid.* Sect. 1. Tit. 12. d. 1.

Usu roboratum testamentum successores invalidare non possunt. *ibid.* 4. prout et transactione firmatum. *ibid.* 7.

Testamentum anterius tollitur per posterius. D. C. P. 1. T. 6. d. 15. sed si posterius anteriori opponatur, et judicatus condescensio petatur, talis stabilitur. *ibid.*

Testamentum nonnisi consvetis solennitatibus provisum, robur habeat. 1638. A. 31.

Test. etiam extra loca authentica condi possit, verum ut solemne, et legitimum deinceps sit, testes quinque, si fieri potest, Nobiles, requisitos, et simultaneos requirit. 1715. A. 27. si vero testator scribere nesciat, vel non possit, requirit testes sex. *ibid.*

Testamentum privilegiatum, utpote de legatis piis, militare, inter liberos, tempore pestis, sufficit manu propria testatoris scriptum, et subscriptum, vel ut nuncupativum, coram duobus testibus sustinetur. *ibidem.* Ad valorem vero Codicilli requiruntur testes tres. *ibid.*

Civitates liberae regiae, juxta usum receptum condere possunt, sed illud testatori praelegi

debet, et is coram testibus declarare, hanc suam esse voluntatem ultimam. *ibid.*

Eorum, qui in exteris morantur, juxta usitatum ibidem modum condi potest, sed recognosci debet, modum hunc ibidem obtinere. 1729. A. 24.

Testamentum post mortem publicetur. 1715. A. 27.

Illud, quoad solennitates externas judicat Forum spirituale. 1647. A. 15. 1715. A. 27. quamvis antea etiam quoad internum ejus meritum judicabat. Szil. A. 9. Math. D. 1. A. 3. et D. 2. A. 17. Ulad. D. 1. A. 46.

TESTIS.

Testis debet actus, superquo quaeritur, recordari, et an ex auditu, vel visu rem habeat, audiri, auditui enim locus non datur, item rationem scientiae reddere tenetur. 2dae 27.

Testis nomen, aetas, conditio relatoriis inseri debet. *ibid.* 29.

Non sit infamis, et uxorem liberosque habeat, sitque christianus. *ibid.* 29. et S. Steph. D. L. 2. c. 3.

Porro requisita testis sunt: libertas, aetas, modalitas, conditio, et juramentum. 2dae 27.

Testis juramentum deponere debet. *ibid.* et 1729. A. 26. et quidem in actu per hominem capitularem, vel regium adjurari debet. Math. D. 6. A. 10.

Si testis ante authenticationem praemortuus

fuerit; etsi pars adversa collateralem revocationem ejus producat, priores ejus fassiones cum reliquis authenticatis assumuntur. D. C. P. 1. T. 19. d. 6.

Testis judex simul esse non potest. Prol. 16.

Testis potest esse rusticus contra Nobilem in causis potentiariis. 1613. A. 23. secus ignobilis contra Nobilem in causa criminali, — si aliae probae desint, — in civili vero causa, modo integrae famae sit, admittitur. 1729. A. 26.

Testis falsi testimonium amplius non acceptatur. Colom. D. L. 1. c. 27.

Non sufficit sola visitatio canonica ad demonstrandum usum antecedaneum sessionis alicujus, per Parochum possessae, sed eatenus testes requiruntur. D. C. P. 1. T. 18. d. 3.

Testificari nolens, sedecim marcas gravis ponderis solvat, et substantia carens, in corpore luat. 2dae 28. 1563. A. 81. 1618. A. 67.

Laicus contra Clericum testimonium dare non potest. (intelligitur in causa spirituali) S. Steph. D. L. 2. c. 3.

A clerico testimonium nisi in Ecclesia exigi potuit. *ibid.* (modo vero jam alter usus est.)

Servus contra Dominum testificari nequit. S. Steph. L. 2. c. 19. excipe, si servus Curiae regali vel Comitis praefectus fuerit. *ibid.* c. 50. si tamen res aliunde probari nequeat, (praeter in causa metalli) servus in causa domini testimonium praestare potest. 1729. A. 26.

Testimonium aulicorum contra se invicem non recipitur. S. Steph. L. 2. c. 55.

Perjuri, infames, ignobiles testimonium praestare nequeant. Math. D. 6. A. 14.

Testes duo, nulli exceptioni obnoxii, vel fassio propria adesse debet ad convictivam sententiam in criminalibus. Pr. Cr. P. 1. A. 14. et 42. contra vagum, et vilem hominem etiam unus sufficit. *ibid.* 23.

Contra blasphemos etiam vulgares testes sunt admittendi. Pr. Cr. P. 2. A. 59.

Testis etiam mulier esse potest, ubi vir desideratur. *ibid.* P. 1. A. 14.

Cui accusatus crimen quodqiam, aliquantum tamen probatum objicit, non est idoneus ad testificandum. Pr. Cr. P. 1. A. 14.

Ignotus, nisi honestus esse doceatur, non est idoneus *ibid.*

Adminus viginti annos habere debet et de re paulo ante majorenitatem eveniente testari potest. *ibid.*

De innocentia testans etiam domesticus admittitur. *ibid.* prout et in defensam naturalem, etiam familiares, domestici, parentes, et filii ad testificandum, citra rigorem admittuntur. *ibid.* 19.

In teste notetur timor. *ibid.* 16.

TRANSITUS RELIGIONARIS.

Vide: *Catholicus. Protestans.*

TUTOR.

Tutor naturalis, et legitimus est pater, ac Mater. 1715. A. 68. is ad reddendas rationes non

obligatur. *ibid.* removetur vero tantum regia, vel palatinali auctoritate. *ibid.*

Pater ut tutor, vel curator, si transactionem de bonis maternis iniit, nisi damnosa remonstretur, filii eam invalidare non possunt. D. C. P. 2. S. 1. T. 11. d. 5.

Pater vivente avia materna, ad transumpta literaria actione caret. *ibid.* T. 16. d. 6.

Si pater ut tutor bona pupilaria male administret, datur tutor dativus, regia vel palatinali auctoritate. 1715. A. 68. et 1764. A. 26.

Tutores testamentarii praeferuntur legitimis, et dativis; legitimi vero dativis. 1mae 120. Tutorem tamen non potest substituere pater in testamento, invito pupillo legitimae aetatis. 1mae 124.

Tutor immissivus est, qui sponte se se in tutelam immittit. 1655. A. 24. Is vero ad omnia ea obligatur, ad quae alii tutores. D. C. P. 2. S. 2. T. 8. d. 1. sed tenetur rationes reddere, et satisfacere. 1659. A. 22. si demum infidelis est, amovetur, et satisfacere tenetur. 1715. A. 68.

Tutor medio Inventarii, omnia pupillaria bona recipiat. 1655. A. 24. Inventarium vero hoc coram articulari testimonio conficiatur. 1mae 115. quia inventarium non conficiens, omnia compensare debet, quae pupilli docuerint adfuisse, et Tutor docere non potest, per Parentes fuisse alienata. D. C. P. 2. Sect. 2. T. 8. d. 3. res servando non habiles distrahat. 1715. A. 68. pecuniam pupillorum loco securo elocet. *ibid.* ceterum a pecunia e rebus servando non servabilibus, vel fructibus

percepta censum solvere non obligatur. D. C. P. S. 2. T. 8. d. 4.

Tutor loco pupillorum respondere tenetur, si in statutione, vel reambulatione ut contradicentes evocati sunt. 1mae 131.

Tutor testimonium super tutela judicio producere debet, quo producto, omnia pupillorum negotia penes revisionales literas, usque legitimam pupillorum aetatem tractat; et pupilli absque ejus scitu, neque Procuratores constituere, neque fassiones facere possunt. 1mae 126.

Omnis Tutor rationes reddat de proventibus pupillorum. 1655. A. 24. et quidem Comitatui omni triennio. 1715. A. 68. imo quolibet anno. 1764. A. 26. Tum si pupilli legitimam aetatem, attigerint, iis etiam rationes reddere tenetur. 1715. A. 68.

Tutor rationes libenter reddens, et bona fide agens, etsi convictus, a censu, et expensis relevatur. D. C. P. 2. S. 2. T. 8. d. 8.

Tutor si absolutionales obtinuit a pupillis, eas vero perfectam aetatem attingentes non confirmarunt, sunt invigorosae. *ibid.* d. 8.

Tutor penes revisionales literas negotia pupilli gerit, et in casu convictionis cum adversario accordare potest. 1mae 127.

Tutores bona pupillaria alienare non possunt, nec impetrare pro parte pupillorum, sed in casibus necessariis onera assumere, et de bonis pro circumstantia disponere valebunt. 1mae 112. et 124. item: 1655. A. 24.

Tutores dilapidatores sequestro afficiantur. 1764. A. 26.

Suspecti vero sunt Tutores: propria sua bona dilapidantes, pupillis necessaria vitae media negantes, eos male tractantes, malorum morum, pauperes, inimici patris, bonis pupillaribus inhiantes. 1mae 123. et hi qualescunque suspecti accusari possunt. *ibid.* 124. eos vero pupilli tantum legitimam aetatem adepti poterunt accusare. *ibid.* et taliter

Suspecti, rem pupillarem infideliter administrantes, amittunt officium, et duplum convictionis solvunt, tum vero administratio bonorum pupillarium publico concreditur. 1mae 123. 125. et 1715. A. 68. si vero in res, et personam pupilli simul infideles fuerant, etiam infames sunt. *ibid.* si vero in fraude convicti fuerant non obstantibus fidejussoribus a tutela removentur. 1mae 125. Convictioni autem praemortui si fuerint, haeredes eorum solum ad satisfactionem obligantur. *ibid.*

Si tutor pupillos male educet, Comitatu eatenus nihil providente, Consilium regium eum ad monebit. 1723. A. 105.

Tutellae subsunt puellae usque nuptias. 1mae 112. item impuberes, et illegitimae aetatis orphani. *ibid.* 115.

Tutela legitima parentibus, fratribusque competit, matri vero solum usque novas nuptias; et quidem competit eodem ordine, quo se successio consangvineorum in bonis excipit. Deficientibus ve-

ro agnatis, in cognatos devolvitur, si bona sexum utrumque concernunt: in ea tamen praeferuntur seniores cognati agnatis, et quidem propingvior, et senior, ceteris, in bonis utrumque sexum concernentibus praefertur. 1mae 116. et 117.

Tutela foeminis, cum praejudicio sexus masculini, sed nec fratri, cum praejudicio alterius fratris, in bonis purae masculinum sexum concernentibus, competit. 1659. A. 45.

Tutela testamentaria praefertur legitimae, nisi pater tutorem reliquisset perjurum, infamem, vel proscriptum. 1mae 119. etc.

USURA.

Usuram judicabat. S. Sedes. Math. D. 1. A. 3.

Contractus de usura ipso facto nullus est. 1802. A. 2.

Ultra sex pro cento accipiens, per Fiscum regium evocatur ad amissionem Capitalis. 1715. A. 15. 1723. A. 120. et 1802. A. 21. nec secus majores summas ac deposuerat, sibi obligans, depositam summam amittat, et Fiscus occupet. 1802. A. 21.

Naturalia, vel operas nimia quantitate titulo census sibi stipulans, juxta leges per concernentem judicem puniatur. 1802. A. 21. et tali, vel qualidemum usurario actio contra debitorem non competit. *ibid.*

USUS.

Parochus sola visitatione canonica usum sessionis ad acquirendum non probat, sed debent testes jurati adesse. D. C. P. 1. T. 18. d. 3.

Usus praevalet in privilegiis sibi appositis. D. C. P. 2. S. 1. T. 2. d. 17.

Usum an pacificum habuerit spoliatus, Vice Comes eum in integrum restituens, perquirat, et si deprehenderit talem, et tamen in integrum restituere non potuit, Universitas brachium decernat. 1807. A. 13.

Usum sylvarum habens, etsi non compossessor, se ad processum ingerere potest, ad proportionem sylvarum motum. *ibid.* 21.

Usus simplicis pascui in metalibus exiguam reflexionem meretur, vel adminus cum usu arabilis terrae, foenisecii, vel lignationis comparari non potest. D. C. P. 2. S. 3. T. 19. d. 14.

Usum pascui ex transactione praetensum, si Incattus interuptum doceat, a poenis violentiae absolvitur. *ibid.* T. 1. d. 23.

Usum pacificum plagae, ex qua abactio facta, si doceat abligens, etsi pecora erga cautionem scriptam jussu Judicis non restituit, poenam marcalem non incurrit. D. C. P. 2. S. 3. T. 2. d. 8. si vero pacificum unius anni usum plagae, ex qua abactio facta est, nec actor, nec incattus docere possit, Actor ab indebitae, Incattus a violentiae poenis absolvitur. *ibid.* T. 1. d. 13.

Usum, et jus educilli, macelli, venationis piscationis, aucupii, aliorumque jurium regalium in privilegiis suis expressa habere debent oppida privilegiata, secus non valent. D. C. P. 2. S. 1. T. 26. d. 5.

Usum glandinationis si contractu, vel tran-

sactione limitatum fuisse, et tamen excessum patratum doceat Incattus, Actor invagiationem ad poenas violentiae posequens, poenam indebitae incurrit. *ibid.* S. 3. T. 17. d. 5.

Usum decimae licet in toto promontorio doceat Praelatus, si tamen etiam dominus terrestris docuerit; ex nonnullis vineis, titulo decimae, vel nonae, aut septimae vindemiale abveniens se usu sustulisse, ob denegatam in his decimam, poenam dupli non inncurrit. D. C. P. 2. S. 3. T. 20. d. 3. e contra, si Praelatus in fundo ex quo ei decima denegata est, usum decimae doceat, duplum, non tamen expensas accipit. *ibid.* d. 9.

Usum in exstirpaturis nisi speciatim doceat Clerus, ob denegatam in iis decimam duplum non consequitur. *ibid.* d. 2.

Usus decimandi si in terris exstirpatitiis adsit, denegata decima, processu mediante datur restitutio in integrum. *ibid.* d. 8.

UXOR.

Uxor succumbentis, vel damnati dote non fraudetur. Andr. A. 12. et 1mae 104.

Adultera uxor, secuto divortio, dotem, non item parapherna, aliaque per ipsum maritum donata amittit. 1mae 105. si vero maritus adulterium probavit, attunc nec dotem amittit, nec capitis damnatur. *ibid.*

Uxor parapherna cum dote accipit, etiamsi ad secunda vota transeat. 1mae 100.

Dotem scriptam, deficientibus acquisitis, etiam ex avitis obtinet. D. C. P. 2. S. 2. T. 6. d. 22.

Adultera Uxor, vide: *Adulterium.*

Si maritus uxorem deseruit, neque haec ad alia vota transivit, immanet bonis; — si vero nupsit, retento vestitu, bona dimittet. S. Steph. L. 2. c. 28.

Uxor ob delictum mariti non punitur. Lud. D. Un. A. 10.

Uxor fugitiva toties quoties fugerit, viro restituatur. Col. D. L. 2. c. 7.

Adultera poenitentiam agat, tum reconcilietur viro, secus innupta maneat. S. Lad. D. L. 1. c. 20. Col. D. L. 2. c. 8.

Uxor si per virum in adulterio necata fuerit vir alteram ducere potest, si tamen propingvi praetendant injuste necatam, via juris res decernatur. S. Lad. D. L. 1. c. 13.

Uxorem in adulterio deprehensam occidens, non incurrit poenam homicidii. Pr. Cr. P. 2. A. 62.

Uxorem, filiam, aut aliam personam fine libidinis pro pecunia exponens, virgis caesus, proscribatur. Pr. Cr. P. 2. A. 80.

VALACHUS.

Valachi privilegia cum praejudicio dominorum terrestrium impetrata amittant. 1635. A. 40. 1659. A. 90. 1681. A. 64.

Valachi exemtiones docentes, subsidia non solvant. 1567. A. 12. 1575. A. 2.

Valachi pro subsidio belli, per Vice Comitem, et potiores Nobiles taxentur. 1595. A. 10.

1596. A. 10. 1598. A. 15. 1647. A. 26. etiam militem juxta limitationem Vice Comitis statuant. 1595. A. 10.

Subsidium trium, duorum flnorum solvant. 1593. A. 4. 1557. A. 3. 1559. A. 12. 1574. A. 4. 1575. A. 2. 1563. A. 4. 1567. A. 12.

Valachi si fugerint, dominus pro eis duplum solvet. 1563. A. 4.

Valachi insurgere obligantur. Lad. Posth. D. 2. A. 9.

Valachi decimam non solvant. Ulad. D. 2. A. 45. et D. 4. A. 29. item: 1569. A. 28. 1574. A. 4. 1575. A. 8.

V. V. decimam suis Episcopis dare debere agnoscuntur. 1574. A. 4.

Valachos ad obsequium redire nolentes, domini terrestres e bonis ejiciant. 1659. A. 91.

Valachus furtum committens capiatur, et juxta leges a domino terrestri puniatur. 1574. A. 4.

VENATIO.

Venatio, aucupium, et piscatio solis dominis terrestribus competit. Ulad. D. 5. A. 18. 1729. A. 22. et Urb. P. 6. §. 3.

Eam in rata medietate territorii sui inhibere potest dominus terrestris. 1802. A. 24. et 1729. A. 22.

Venatio Nobilibus in proprio territorio semper, in alieno vero extra tempus foetificationis, in parte sylvarum non prohibita, in campo vero ubique licita sit. 1729. A. 22. 1802. A. 24.

Venatio in sylvis tantum, non item in agris prohiberi possit. 1729. A. 22. in defectu vero sylvarum, in arundinetis, et dumetis prohiberi potest. *ibid.*

Venationem officiales militares legibus conformiter exerceant. *ibid.* et 1802. A. 24.

Clericus die festo venationem instituens, usque satisfactionem ab Ordine descendat. S. Lad. D. L. 1. c. 12.

VICARIUS.

Vicarium aptum deligat Episcopus, publicis a residentia impeditus. 1548. A. 6. 1550. A. 13.

Vicarius, et officialis Praelati est Judex ecclesiasticus. Ulad. D. 1. A. 46.

Vicarius exterus esse non possit, secus sententia ejus nulla sit. Ulad. D. 2. A. 32. et D. 4. A. 35.

Vicarius Generalis Archi Episcopi, est Judex primae instantiae causarum dioecesanarum. Ulad. D. 1. A. 45. et D. 2. A. 10.

Vicarius causam a Judice seculari avocatam tenetur ei sub amissione beneficii submittere. Ulad. D. 1. A. 46.

Causas ad forum spirituale pertinentes continuo judicet. 1559. A. 40.

Cum procuratore in judicio non judicet. Ulad. D. 4. A. 35.

Vicarius causam ad forum suum non spectantem judicare non audeat. Ulad. D. 5. A. 25.

Vide: *Episcopus. Sedes Sacra.*

VICE - ARCHI - DIACONUS.

Vice - Archi - Diaconos Episcopi constituant. 1548. A. 6.

Officium eorum seculare est: limitare Plebanos ad subsidium, bellicum. 1537. A. 17. et 18. et defigere ratam proportionatam decem Parochorum, unum equitem statuentium. 1662. A. 5. 1681. A. 46. laicos a praedicatione removere. 1548. A. 10. tum vero

V. A. Diaconus officia sua libere peragere possit; (idest per neminem sive in via, sive in negotio turbetur) 1557. A. 10.

Sub amissione beneficii pro sepultura interemptorum nihil exigat. Math. D. 6. A. 63.

Ceterum vide: *Archi Diaconus.*

VIOLATOR.

Violator Ecclesiae capitali poena puniatur. Lud. 2. D. 4. A. 36.

Violator Statutorum Ecclesiasticus beneficium amittat, secularis bona, Ulad. D. 6. A. 8.

Violator literarum missilium, in centum flnis, ad instar liquidi debiti desumendis convincatur. 1723. A. 59.

Violator Virginis, vel mulieris morte puniatur. S. Lad. D. L. 1. c. 32. Lud. 2. D. 4. A. 36. et Ulad. D. 7. A. 14. et 39.

Eam attentans, semper brevi quindecim, vel longo triginta dierum termino in praesentiam per-

sonalis, absque prorogatione, nisi causa Regni abesset violator, evocari potest. Math. D. 1. A. 1.

Violator novercae, vel privignae caput amittat. 1723. A. 11.

Violatorem virginis, vel mulieris puniri non sinens, in quadringentis florenis, toties quoties requisitus fuerit, convincatur. Ulad. D. 7. A. 41.

Viloator Virginis, vel mulieris si rusticus sit, morte puniatur, et posteritas ejus servituti perpetuae mancipetur, nullius servitii capax sit, et pater coelibis, violatoris Virginis infamia notetur. Ulad. D. 7. A. 47. Si vero Presbyter fuit, pro carcere perpetuo Praelato consignatur. *ibid.* A. 48.

Violator Sedis, vide: *Sedes.*

Vim inferens vero virgini, vel mulieri, aut conjugi, ut praedo gladio puniatur. Pr. Cr. P. 2. A. 75. ac 82. et P. 1. A. 43.

Vis illatio antiquatur annis viginti. Pr. Cr. P. 1. A. 43.

Vim passa persona infamiam non incurrit. Pr. Cr. P. 2. A. 75.

VISITATIO (CANONICA.)

Episcopi constituere possunt Visitatores. 1559. A. 41. qui libere peragant sua officia. 1557. A. 10. — Vide: *Episcopus. Parochus.*

VOTUM.

Vota in Congregatione ratione legis, et consvetudinis excipiantur. 1723. A. 58.

Vota majora decidant causam, si vero paria sint, pars ea cui Praeses adstipulatur, decidet. **1723. A. 31.**

VULNUS.

Vulnerator Nobilis actum majoris potentiae incurrit. Math. **D. 6. A. 15.** Ulad. **D. 3. A. 8. 1723. A. 10.**

Clericus vulnerator emendam capitis incurrit. *ibid.*

Vulnerator Judicis exequentis fit sententiae capitalis reus. Ulad. D. 2. A. 16.

Parentum, juxta prudens Judicis arbitrium morte puniatur. **1723. A. 11.**

Appendix

APPENDIX.

De Statutis Dioecesanis.

I.

De Relationibus periodicis.

1mo. Protocollum Congregationis vernalis.

2do. Protocollum Congragationis autumnalis; utrumque post celebratam congregationem adminus intra unam quindenam vel directe Officio Dioecesano, vel vero Archi Diacono substernendum est.

3tio. Protocollum Visitae V. A. Diaconalis, quae in Dioecesi hac omni secundo anno suscipienda est. — *Visitae hujus ordo videatur inferius.*

4to. Informatio Parochorum.

5to. „ Cantorum quovis anno cum fine anni Civilis.

6to. Informatio vero Deficientium Sacerdotum, et

7mo. Informatio de Viduabus, ac Orphanis defunctorum Curatorum officio Dioecesano submittenda est cum ultima Octobris, propter conclusionem Rationum Deficientiae, et ut adrepartitio Pensi Viduo-Orphanalis mature institui possit.

8vo. Informatio de Alumnis Seminarialibus, qualiter videlicet per decursum feriarum, seu Vacationum semet comportarunt, — Informatio haec conclusis feriis statim submitti debet, prout et:

9no. Informatio super Clericis Ordines sacros praestolantibus; haec quidem vel annua, vel eo tempore danda est, dum informanda Individua pro susceptione S. Ordinum veniunt.

10mo. Informatio de scholis nationalibus, trivialibus, vel parochialibus, et quidem Primo-semestralis ad Officium Dioecesanum, secundo-semestralis vero Superioris Scholarum, ac Studiorum Directionis Officio, eaeque ad summum post duas a peractis publicis examinibus computandas quindenas transmittendae sunt.

11mo. Rationes Ecclesiarum, cum ultima Octobris cujusvis anni concludendae, et ad summum usque finem Januarii submittendae.

12mo. Tabella mixtae Religionis Matrimoniorum cum mense Decembri substerni debet.

13tio. Tabella, favore Art. 3. 1844. a Fide Catholica deficientium, et ad eam accedentium, in obsequium ejusdem Art. §. 11. binis per annum vicibus, sive cum 20ma Junii, et 20ma Decembris diligenter exhibenda.

14to Tabela pro Schematismo quovis anno usque 1mam Septembris submittenda, ac denique

15to Tabella dissidentium Conjugum.

Siquidem vero VADiaconi pro praemissis officiosis Relationibus stricte responsabiles sint;

ideo omnes et singuli Curati, tempore opportuno, ad easdem Relationes VADiaconis suis praestandas ita obligantur, ut VADiaconus justo Relationum tempore evoluto, neminem praestolari, sed Relationes suas, *etiamsi cum defectu*, Officio Dioecesano substernere, teneatur, incurius vero Curatus neglectam ejusmodi Relationem solus in persona eidem Officio Dioecesano adferre obligetur.

II.

Ordo Visitae V. A. Diaconalis.

V. A. Diaconus, cum Adjuncto suo Visitam officiosam suscepturus, omnium primo de sui adventus tempore Parochum, et Parochianos opportune edocebit, qui eundem ex officio procedentem praestolari, ac honorifice excipere obligantur, sciendo, quod Visitatio haec ad conservationem recti ordinis, et robur fidei quam plurimum conferat. — Itaque visitans V A Diaconus cum adjuncto suo, Parocho Loci, et Cantore, seu Ludirectore, Syndicis, ac primoribus C. munitatis:

1mo. Ecclesiam ingreditur, inspectoque reverenter Ciborio, et Antimensio, cuncta tegumenta Altaris, et paramenta, Vasaque sacra, cum utensilibus bene investigat; maxime vero attentionem suam eo conversurus, an Domus Dei, ut oportet, cum paramentis suis munde, ac nitide asservetur, et utrum non sint quipiam defectus, qui sive Cultus Divini rectum ordinem impedirent, sive cu-

rati, vel Ludirectoris, aut Syndicorum incuriam argnerent. Tum

2do. Dotem Ecclesiae perquirit, et quidem: qualia habet Ecclesia haec Tenuta, ac per quem eadem, et qualiter manipulentur; item qui sunt fontes proventuum Ecclesiae, quae debita activa, et an satis securis locis extradata sint, quae item debita passiva, et quo fine contracta, quantum item actu in aere parato, ac naturalibus exsistat? qua occasione Diarium cum Rationibus conferendum est, taliterque Rationes in facie Loci censurandae.

3tio. Inspiciuntur aedes Parochiales, aedificia oeconomica, aula, horti, et cincturae, an videlicet haec in bono existant ordine, quis ea conservat, et an aliquid non sit destructum, aut plane desolatum, et si est; inquiritur, cujus culpa id evenit? qui eotum ad reparandum convinci poterit. Similiter

4to. Visitantur aedificia Ludirectoris, et Schola.

5to. Quaeritur quantitas fundi Parochialis, et Cantoralis, an debite, et per quem cultivetur.

6to. inspiciuntur Protocolla, Liber Stipendiorum, et Matriculae, an non sint in iis, praesertim posterioribus errores, vel plane rasurae, correctiones, et si sunt, tales eotum corrigi debent liberque authenticari, ac in fidem authenticationis per V A Diaconum subscribi, taliter: *Alesperesti hivatalos visgálat' alkalmával ezen Anyakönyv*, (vagy Jegyzőkönyv) *megvisgáltatván*,

észrevétel nélkül találtatott, Költ etc. aut si quaepiam observationes locum haberent, eaedem in superius attacta authenticationis subsignatione praecise exponendae erunt.

7imo. Quaeritur a fidelibus: an Parochus debite concionetur, et catechiset, et quis hujus muneris effectus? in cujus cognitionem facilius perveniet visitans V A Diaconus, si non tantum juventutem ex objectis catecheticis pertentabit, sed unum alterumve fidelium adultorum, de objectis credendorum sollicitabit.

8vo. Visitabit Scholam, ac omnes Scholares poedagogice pertentabit, ut, videat, an proles assequantur mentem Magistri, et an is ad captum prolibus proponere sciat, et soleat? in specie vero perquiret, quisnam catechesim tradere consveverit, et quali methodo; tum vero scholarium numerum sibi exhiberi curando, perquiret et illud, num aliquae proles incuria nefors Parentum a Scholis avulsae non sint? et si hoc adinvenerit, eorum medelam ferre adlaboret, non modo debite exhortando, sed etiam assistentiam politicam implorando.

9no. Quaeret Visitans, num hic absolvantur debite divina, seu quando, et qualiter absolvatur matutinum, et Vesperae, et quis ordo servetur in concionando. — Tum investigabit, qualisnam sit Incolarum in res sacras propensio, seu absolvunturne festa, confitenturne omnes, et quoties per annum, an non sit aliquis irreligiosus, publicus blasphoemator, vel scortator, etc. an non den-

tur dissidentes Conjuges, filii erga Parentes irreverentes, verbo an quipiam abusus non sint, aut irradicata praejudicia, an non denique aliqua eveniant scandala, quae perquirendo diligenter, una sciscitabitur, an haec Parochus eradicare adlaboraverit; quae et ipse Visitans stitis coram se questionatis tam pastoraliter, quam et aliis mediis abolere studebit. Denique

10mo. Pervestigabit Stolae, et oblationum usum, abusus ipso facto destruet, optimum vero et salutarem usum inducet, praesertim quoad orationes, festorum observationes, et cultum Divinum externum, juxta uberem cognitionem suam, et prudentiam pastoralem, unitatis, ac uniformitatis rationem et Cathedralis Ecclesiae praxim prae oculis semper habiturus.

Juxta has igitur, et alias, quae sana prudentia svadebit, rationes processurus Visitans V. A. Diaconus, sicut cuncta ad gloriam Dei operari, errores exstirpare, et bonum semen seminare studebit, ita de cunctis officio Dioecesano, sive in norma Tabellae, sive in forma Missilium Relationem facere obligabitur; haec namquae ad munus ejusdem VADiaconi pertinere clare perhibet Concilium **Ticinense** noni saeculi textu:

Archi - Presbyteri — V A Diaconi, — *non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant, et qua unusquisque industria divinum opus exerceat, Episcopo suo renuncient . . . Et*

sicut Episcopus matrici Ecclesiae praeest, ita Archi-Presbyteri, — V A Diaconi — *praesint plebibus, ut in nullo titubet ecclesiastica sollicitudo. Cuncta tamen referant ad Episcopum, nec aliquid contra ejus Decretum ordinare praesumant.* Et **Synodus Audomarensis** his verbis: *Decanorum est, in sui Decanatus partibus, sive parochiis curare, ut Sacerdotes, et Clerici omnes, et singulariter, ut pastores vitam agant sua vocatione dignam, ac talem, ut nemo de ipsis queri possit, nihilque in ipsis, nisi grave, modestum, imitationeque dignum conspici: deinde in hoc advigilare, ut pastores in praedicatione verbi Dei, sacramentorum administratione, et in omni functione pastorali officii sui recte, diligenter, et quemadmodum oportet, versentur: ad haec ipsos, quando opus fuerit, visitare, monere, corripere, consolari, consilio ipsis subvenire, denique veri pastoris officium erga illōs, sanos, et aegrotos, vivos, et mortuos exercere.*

III.

Formulae Testimonialium.

1mo Testimonium super insinuatione transitus, vel defectionis a Religione Catholica, ad Confessionem Evangelicam, in sensu Art. 3tii 1844 deficere volenti dandum, et quidem post insinuationam primam.

Alább irt ezennel bizonyitom, hogy N. Pleba-

niamhoz tartozó N. N. mai napon nálam N. N. és N. N. bizonyságok jelenlétökben azon szándékát jelentette bé, miszerint a Katholica Hitről, mellyet eddig követett, az Ágostai, vagy Helvetziai vallásra átmenni akar. Kelt N. N. — napján, — esztendőben.

2do. Testimonium super iterata post quatuor septimanas de transitu declaratione, deficere volenti dandum:

Alólirt bizonyságot teszek, hogy N. Plebaniamhoz tartozó N. N. mai napon nálam N. N. és N. N. bizonyságok jelenlétökben, azon az előtt négy héttel jelentett szándéka mellett, miszerint a Katholika Hitről, mellyet addig követett, az Ágostai, vagy Helvetziai vallásra átmenni akar, álhatatos megmaradását nyilványitotta. Kelt. N. N. etc.

IV.

Praxis Judicialis, quae in V. Consistorio Eperiessiensi observari solet.

Facta sive coram Episcopo, sive ipsa S. Sede, sive denique coram Notario ejusdem Sedis, in negotio matrimoniali, aut Causa canonica denunciatione, ante omnia Sedes Sacra super eo ferre consvevit judicium, num querela, *denuntiatio hæc* objectum Processus constituat, seu an eatenus qualificata sit, ut ad eam denunciationem Actio erigi valeat; siquidem ad solam nudam expositionem,

ac querelam S. Sedes Actionem sive dictare, sive acceptare haud consvevit, — Et ideo, si expositio, vel denunciatio sufficientibus pro Actione motivis, requisitisque actis, et instrumentis non firmari videatur; Judex eotum pro matura cognitione eam ad partes mittit, seu delegatis idoneis Individiis, et quidem in matrimoniali Causa quoad vinculum suscitata: Praeside, uno, vel duobus Adjunctis, et Matrimonii Defensore, quoad hunc actum delegato, et in facie Loci adjurando, in aliis vero Causis tantum uno Inquisitore, et uno Adjuncto *omnibus tamen personis ecclesiasticis*, Inquisitionem ordinat peragendam; quae si per exmissum S. Sedis Assessorem authentice peracta est, pro authentica habetur, nec amplius authenticari solet, nisi per Partem aliam quoad meritum fundata exceptio formetur, et tunc Assessor, sed tantum quoad controversum meritum porro inquirit authentice; secus vero, si Inquisitio non per S. Sedis Assessorem fiat: ad petitionem Partium per Assessorem, vel etiam duos authenticari solet.

Exhibita itaque Inquisitione, actisque ad instructionem Causae pertinentibus, et valorem, ac realitatem expositionis fulcientibus, Judex discernit, an in proposito merito Actio locum habeat, vel nefors summaria sufficiat procedura? et si Actionis fundamentum invenit, eam judicialiter decernit, atque per Fiscum Consistorialem appositam, et acceptatam, juxta morem Cancellariae suae expediri facit cum Citationis

paribus, queis ipsa Actio inserta est, stylo sequente: *Egyházi Székünk Ügyvéde, Tisztelendö, vel Nemzetes N. N. által elönkbe terjesztetett következöképpen:* hic tota Actio de verbo ad verbum describitur, et citationis formula subjungitur, in qua *Locus*, *Dies*, et *Mensis*, in quem Reo-conventus sistere semet obligatur, expresse, et clare exponendus venit; — observato quoad tempus comparitionis eo, quod RCto tot assignentur pro comparitione quindenae, per quot Comitatus Citatio mittitur, seu si RC. in Comitatu Sárossiensi habitat, Citatio ad moram unius quindenae extenditur, si in Abaujvariensi, tunc conceduntur quindenae duae, si vero in Borsodiensi, vel Tornensi, tunc tres quindenae ponuntur; expediri autem passim solet ex officio ad VADiaconum Districtualem, vel vicinum Parochum, *propter oeconomiam sumptuum*, qui RCtum de loco habitationis, exhibitis eidem Citationis paribus, evocat, et in ipsius originalis Citationis dorso Testimoniales super citatione adnotat, sequenti circiter modo:

Hogy ezen kegyes idéző Levelet a bent irt idéztetett N. N. urnak, N. N. helységben, N. nap, és hónapon, és pedig tulajdon, vagy N. házában személyesen bemutatván, ennek párját nékie altaladtam, és őtet a' hozzám utasitot parancs' következtében, a' Fő Tisztelendő Eperjesi Sz. Szék elébe f. é. N. hónap N. napjára idéztem légyen, ezennel hivatalosan bizonyitom; — a' kiis az érintett idező Levél párját tisz-

telettel elfogadván, előttem élő szóval nyilatkozott, hogy a' meghatározott N. napon, a' tisztelt Sz. Szék elött személyesen meg jelenend, és ügyeire felvigyázand. Mellyről is adom ezen hivatalos, és lelkiesmeretes hátirati Jelentést, és bizonyitványt. Költ: etc.

Haec dorsali relatione provisa Citatio, ubi remissa fuerit, extradatur Fisco, vel Advocato Consistoriali, erga quam per eum Causa levatur, et die comparitionis more solito in figura Consistorii per Notarium proclamatur, et pro levata improtocollatur; ad quam si R. C. comparuit, comparitionem suam inserit, vel vero Advocatum sibi constituit, qui nomine ejus in Causa comparet, quae eotum ad ordinarium Processus cursum ponitur; si vero:

RCtus usque lumen candelae non comparuit (*quia comparitio etiam coram Notario fieri poterit*) Notarius S. Sedis id ipsum in futura Sessione officiose insinuat, et tunc decernitur Citatio *secunda*, si nec ad hanc paruit, eotum *tertia* expenditur „*observatis in omni citationis casu supra mentionatis legalibus quindenis*" si demum neque ultimae Citationi paruerit RC. tunc — *valvali hic in usu non vigente*, — fertur Sententia, et quidem in *canonicis* ad suspensionem aut alias actionales poenas; in *matrimonialibus* vero non ad meritum quidem, seu divortium, sed ad comparitionis obligationem, quae Sententia penes *Compassum*, respectivae Jurisdictioni Civili transponitur, et vigore Legis Patriae. 1552:

A. 25. et 1588. A. 45. *aliarumque* executioni mandari debet; Appellata hac in parte, virtute Legis 1729. A. 38. locum non habente.

Taliter sive ad secundam Citationem, sive penes brachium civile comparente Parte, primo omnium de non Comparendo ab ea ratio exigitur, quae si probata fuerit, sufficiet Parenti paterna monitio, si vero pro *contumacia* adinventa fuerit, Pars in birsagio convincitur, et nisi hoc deposito, defensa ejusdem partis acceptatur.

Comparente igitur Parte RC. (*quia A. Fiscus Consistorii semper comparet*) allegatur pro et contra, et quidem pro omni allegatione ad summum una quindena conceditur, et nisi Pars quaepiam fundatam petitionem habuerit, substernitur Causa tempore intermedio, pro sententia *interlocutoria*; ubi vero ambae Partes sua induxissent motiva, Causam submittunt, quae Judicio pro *decisiva* Sententia substernitur, qualis etiam juxta allegata, et probata, scilicet dictamen S. Canonum, Statutorum, Dioecesanorum, nec non Scripturae Sacrae effata, ac Legum Patriarum articulos fertur, et vel eadem die, vel in futura sessione, coram Consistorio, et aliis adminus duobus testibus, *apertis portis* per Notarium publicatur.

Post publicationem Sententiae integer Processus terminatur, non tamen statim sententia executioni mandatur, sed, — quia in Causis *vincularibus*, juxta constitutionem *Benedicti XIV.* Matrimonii Defensor, *si videlicet Sententia contra*

matrimonium lata est, semper appellare tenetur, — haec Causa ad V. Forum Metropolitanum Strigoniense, — *imo nonnunquam gradualiter etiam ad Primatiale*, — appellatur, quae appellata vigore citatae Constitutionis admitti debet, *Apostolique* ocyus expediri coguntur. In causis vero aliis, *canonicis*, vel ad *thorum*, si ex parte altera appellata intra *decem* dies non interponitur, sententia abit in rem judicatam, et penes *compassum* expeditur ad forum Civile pro executione. Si demum in Sententia *correctoria* quis appellet, tali *Apostoli* non conceduntur; nisi forte via *instantiae* ad Metropolitam appellasset, et tunc erga Mandatum *transmissionale*, vel *declinatorium re interea integre servata*, tota Causa pro informatione transponi solet.

Notandum 1mo Dum Causa ad forum Metropolitanum appellatur, interrogari solent Partes, an consentire velint in quemcunque terminum *Revisionis*, vel nefors Citationem Metropolitae praestolando, eorsum personaliter comparare desiderent? — et si consentiunt in generalem terminum *Revisionis*, attunc in Literis Appellationis quae *Apostoli* vocantur, vel vero in Transmissionalibus id ipsum erit praenotandum, et sic Partes ad Metropolitanum forum personaliter non evocabuntur; secus vero erga novam evocationem Metropolitanam, novitus citari debebunt.

2do *Procuratores* in foro spirituali ordinarii sunt: *Juratus Fiscus Consistoralis*, *Advocatus Consistorii*, qui etiam Pauperum vocatur, et *Ma-*

trimonii Defensor; — et quamvis alii Procuratores ab allegando coram hoc Foro art. 27. 1567. et aliis articulis arceantur; hujas tamen Consistorium admittit Parti RC. etiam exterum Advocatum, dummodo sit idoneus, legitime constitutus, et Catholicus, a quo coram hac Sede, *si de charactere ejus bene constat*, neque juramentum *calumniae* exigi solet; si tamen ejusmodi Advocatus sphaera sua abutendo, vel rixas cieret, aut in allegando modestiae, aut reverentiae erga S. Sedem limites transgrederetur; eotum manu notariali crucifixa ejus indecente, vel laesiva allegatione, ab allegando removetur, quia poena *Aucariorum* hic irrogari non consvevit.

3tio. *Taxae* quidem judiciariae in foro spirituali non vigent, quia Judex gratis Causam levat, et pertractat; solet tamen RC. nonnunquam vero etiam Actor, vel in parte uterque in expensis Processualibus convinci, *quia nemo tenetur propter alicujus commodum, vel excessus incomoditatem, et onus ferre*, taxa vero ejusmodi expensarum huc redit.

1mo. Exmisso Inquirenti, vel Authenticanti, si is Canonicus, vel Archi-Diaconus est, *si nempe talis per Partes expetitur, vel gravitas negotii postulat*, praeter praejuncturales expensas, titulo Diurni adjudicari solent. - - - - - - - fl. 5.

Si vero non sit Dignitarius, attamen S. Sedis Assessor est. - - - - „ 3.

Si non Assessor quidem S. Sedis, sed

VA Diaconus - vel Parochus est; pro Collaterali videlicet Inquisitione exmissus, huic - - - - fl. 2 xr. „

Adjuncto vero Canonici, vel Archi Diaconi, si Assessor S. Sedis est. „ 3 „

Si non est Assessor - - „ 2 „

Aliis denique Adjunctis - „ 1 „

2do. Pro poena Birsagii contumaciae, et quidem pro prima non venientia. - - - - - „ 6 „

Pro secunda non venientia - „ 12 „

Et pro tertia - - - „ 18 „

adjudicantur, cujusmodi birsagii medietas cedit Fisco, alia medietas Notario Consistoriali.

3to. Poena dementitae fidei pro ratione facultatum Incatti infligenda, cedit etiam Fisco, Notario, et in parte Cancellariae Dioecesanae

4to. Pro expeditione Mandati Citatorii *in Patente* - - - - „ „ 45

5to. Pro exp: Mandati Delegatorii „ „ 45

6to. Pro exp. Mandati Compulsorii „ „ 45

7mo. Denique pro expeditione Delegatorio - Compulsorii - - „ 1 „ 15

Quae omnes taxae respiciunt Cancellariam Dioecesanam.

8vo. Pro exhibitione Mandati Citatorii, et exaratione Testimonialium, praeter sumptus praejuncturales in itu, et reditu. - - - - - „ 2 „

9no. Expeditio Sententionalium *in Patente* reluitur - - - - - fl. 6 ad cassam Cancellariae solvendis; in quam summam imputatur etiam expeditio Compassus.

10mo. Visitatio *medico chirurgica*, in Causis *Frigiditatis*, testimonialiumque scriptura solvitur - - „ 2

Tum vero utrique Advocato honorarium S. Sedes adjudicat, et quidem pro ratione facultatum Partium, et qualitatis Allegationis, ordinarie tamen ab hominibus miseris nihil accipitur, nisi contumaciter se gessissent, et Causa cadendo alteri Parti notabiles fecissent expensas, cujusmodi expensas haec Pars sibi allegative applacidari petit.

Et haec sunt breviter praenotata de Processus spiritualis forma; cetera pertinent ad praxim quam Leges Canonicae, et Civiles ubertim dictant.

Ceterum ad Judicii Ecclesiastici normam, agendorumque praxim ad usum praesentis Libri semper consulatur **Extractus Benignarum Resolutionum Normalium**, in Objectis publico Ecclesiasticis emanatarum Anno 1824. et 1846. editus.

INDEX.